



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs II. An ens sit vniuocum vel analogum respectu suorum
inferiorum, & etiam oppositorum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)


tiue & essentialiter ens; ergo est se tota & adaequata ens, ergo si est ens & aliquid aliud ab ente, erit vtrique ens, & aliud à seipsa tota, quo tamen nihil dici potest magis ridiculum. Nego vero primam consequentiam; quoniam, ut iamiam doctum, differentia entis neunquam est se tota ens, tamen illud sit vixitum sumpta: itaque erit aliud ab ente, non tamen propterea aliud à seipsa tota.

138 Demum argumentari potes, in hunc modum. Ens habet infinitatem quandam, vi cuius transcendit, tum omnes res, tum singularum qualeslibet formalitates sine termino, ut vel nos haud semel statuimus: atqui vnum infinitum exhaucit aliud illique adaequatè & ex integro respondet, atque commentum est: qua ratione multitudo infinita lapidum, verbi gratia, si esset à Deo simul producta, infinitum spatium adaequatè occuparet, & quo pacto, Deus modò infinitam intercapedinem & extensionem, atque imaginatum illud veluti chaos longe lateque fufum, & carceribus circumfcribi nescium adaequat tamen: quantumvis ergo differentia entis, verbi gratia perfectas, aliue in ea lateris, sit infinita, & innumerabiles formalitates habeat, nihilominus eam ens, quae similiter est eius infinitudo, adaequatè transcendet, & omnino non per vbitatem, sed per identitatem occupabit. Quocirca licet eiusmodi differentia, postquam est ab ente transcensia atque perfectissima vna illius formalitas, huic addat aliam nouam, & rursus isti aliam, & sic in infinitum, atque cuiusdam hydrae more semper crescat ac denuo repulset, quin vlla vi etiam Herculeae possit vnquam exauriri: ceterum nil ei prodest hac vel Lernae monstro monstrosior additio infinita: eam etenim ens infinitudini suae vi adaequat, nec à transcendentia sua nil non etiam adaequatè complectente permittit vllatenus euadere.

139 Hoc argumentum magnam probabilitatis speciem habet, eoque vix aliud aduersus nostram sententiam aut difficilius, aut magis vendibile inueneris: ei tamen probabiliter responderi posse cenfeo, ens quidem habere infinitudinem formalitatum, quanta ei satis superque sit ad exhaustiendam funditus differentiam, & eam quantumlibet infinitam adaequatè transcendendam; ita tamen illam non transcendere, nec totam veluti penetrare, non defectu infinitatis, sed quod identitas eius cum illa sit suapte natura partialis & inadaequata, atque insufficiens adeò: animaduertendum enim est, ad eiusmodi transcendentiam totalem duo in ente requiri, videlicet amplitudinem, qua possit esse par innumeris differentiis formalitatibus, necnon etiam debitam cum illis vnionem & applicationem, non loci quidem sed identitatis: harum autem priorum conditionem enti adesse, sed tamen ei deesse posteriorem. Ita pars A, verbi gratia, continui infinitatem habet sufficientem, ad hoc ut partem B, itidem infinitam penetraret, si nimirum ei totaliter sumpta esset immediata, ac sufficienti ratione praesens: at quoniam aliter se res habet, eique parti tantum adest inadaequatè, nullaque eius assignari potest particula, cui toti sit omnino immediata, & qua dari nequeat alia minor, cui sit magis immediata, idcirco eam non penetrat, nec localiter transcendit.

140 Atque hac de transcendentia, quae quia sponte sua difficillima est, & ut aiunt numero Platonis obsecruior, huius tractatus longitudinem satis excusat: quemadmodum enim per se clara, nimis ea si contrahas, obscuritatem induunt, & tenebras nubesque colligunt, ut compendio tergitur ille in arte poetica brevis esse laboro obscurus fio: ita è contrario tenebri-

cosa, nisi diutius eis insistas, numquam poterunt satis declarari, numquam disiectis fugatisque nubibus solem aspicere.



TRACTATUS II.

An ens sit uniuocum vel analogum respectu suorum inferiorum & etiam oppositorum.

CAPVT I.

Ens est uniuocum respectu substantia & accidentis, creatoris, & creaturarum.

TA SCOTUS in primum distinct. 3. quaest. 1. & 3. & in Tertium distinct. 8. quaest. 2. Iycherus in 13. distinct. 3. quaest. 4. Fauentinus Theoremate 95. Fuente quaest. 12. log. difficul. 1. artic. 3. num. 5. & 6. Ioan. Canonicus 1. phys. q. 3. Bonetus 1. metaph. cap. 6. Trombeta cap. 4. metaph. cap. 2. Smilingus, Cauellus & communiter ceteri Scotistae Item Ochamus, & Gabriel. in 1. distinct. 2. quaest. 4. & Gregorius dist. 8. quaest. 3. Maior eadem dist. quaest. 1. ac ceteri nominales Rursus ex nostris Arriaga disput. 9. log. sect. 4. Sancta Crusanus in sua log. part. 2. disp. 5. quaest. 8. sect. 5. & Ouiedus tom. 2. in metaph. controu. 1. punct. 8. Suadet autem haec opinio: quoniam uniuocum est, cuius nomen est commune, & ratio nomini accommodata omnino eadem: at nomen entis est commune Deo, & creaturae, substantiae, & accidenti, & ratio nomini accommodata est omnino eadem: ergo ens est uniuocum: vnitas & communitas nominis entis est in propatulo: vnitas autem, seu identitas rationis ei subiectae & accommodatae nomini probatur hunc in modum: à substantia & accidenti, creatore, & creaturis abstrahitur vna ratio entis, at ea ratio nomini entis respondet: ergo ratio respondens nomini entis est omnino vna, & eadem: minor est perspicua, quia sicut vox animal non homini, aut belluae immediate accommodatur, sed potius cuidam ab eis abstractae rationi, ita vox ens solam rationem abstractam à substantia & accidenti, Deo, & creaturis, ubi semel ea possibilis sit immediate significat.

Cardo totius argumenti est maior, qua paulo supra statutum est ens posse à suis inferioribus abstrahi. Ea vero probatur primo: quoniam substantia est simpliciter ens, & accidens est simpliciter ens: igitur est ab utroque abstrahibilis vna ratio entis, similiter, atque ab homine & bellua vna ratio animalis, quia tam homo quam bellua est simpliciter animal: antecedens probatur: quoniam ens proprie, & vere est, quod habet aptitudinem ad esse seu existere, quae significatio entis omnibus receptissima & sanctissima est at ea aptitudo non solum substantiae, verum etiam accidenti simpliciter congruit: ergo, &c. minor haec suadet, actus essendi, seu existendi non solum substantiae, verum etiam accidenti proprie & simpliciter conuenit: ergo & aptitudo: nusquam enim, & nunquam non valet argumentum ab actu ad potentiam affirmatiue: proximum antecedens videtur manifestum: tum quia quidquid producit effectum aliquem, ac virtutem suam exercet, id en-

tis dignitatem adipiscitur: qui enim fieri, aut intelligi potest, ut esse, quod non habet, alteri communice, & inops ipsum omnis entitatis, entitate tamen aliud dicit, ac subleuet. At accidentia simpliciter, & immediatè sunt operativa, imò in sententia Thomistarum ea sola sic operari possunt: quis abnuat, calorem calefacere, humiditatem emollire aut lucem diffundere radios? Præterea: quod simpliciter producit, & à non esse ad esse causarum suarum beneficio transfertur, id profecto ens existimandum, cum non ens esse nequiquam sustineat, illudque nullius merito causa obineat: sed accidentia simpliciter producuntur & aguntur: alias voluntas libere amans nihil simpliciter ager, & mere passiuè se habebit, quod est in Concil. Trid. can. 4. sess. 6. cap. 5. expresse damnatum; aliasque accidentia nequiquam erunt creatura quando harum nomen & ipsum ethymon productionem, quoddamque fieri sonat. Rursus quod oculis cernimus, quod auribus haurimus, quod manibus attrectamus, quod per reliquos sensus experimur, id simpliciter esse, & in rerum uniuersitate existere euidentius est, quam ut negari possit, aut probari debeat: at accidentia, potissime per sensus exteriores attingimus, videlicet lucem, colorem, sonum, saporem & alia id genus: quare mirari satis non possum aliquos Thomistas, qui ne uniuocationem, aut abstractionem enti concedant, accidentibus entitatem negant, & ne nobiscum sentiant sensui, & rationi aperte resagantur,

3 Secundo probatur eadem superioris argumenti maior ex Scoto nuper laudato, & Auicenna 1. metaph. cap. 5. quod intellexit de vno conceptu certus & de alio incertus, & anceps est, conceptus de quo certus est, distinguitur ab eo de quo est dubius: qua de causa conceptus animalis, verbi, gratia, differt à conceptu obiectiuo hominis, & equi, quia, qui videt eminè hominem, & cum ab equo non discernit, animal certò dignoscit, de homine, aut equo omnino incertus manens, & vter sit prorsus incertus: potest autem intellectus noster certus esse de conceptu obiectiuo entis, & dubius de eo; an sit substantia, vel accidens, ut cum quæritatem ens esse dignoscimus, & substantiam esse an superadditum quoddam accidens, dubitamus, & modo in prius cum Nominalibus, modo vero in posterius cum Realibus inclinamus, aut cum hæreticus hostiam consecratam cernens certus est ibi esse ens, incertus vero, an substantia panis, vel eius accidentia sola: conceptus igitur entis est diuersus à conceptu substantiæ, & accidentis. Tum sic; ergo siue ex parte obiecti, siue ex parte modi iuxta varias Doctorum sententias à conceptu substantiæ, & accidentis abstrahi, & præcindi poterit, sicut conceptus obiectiuus animalis ab homine, & equo, quia videlicet ab iis diuersus. Porro conceptus entis, ut sic præcisus vnus non esse nequit: quoniam omnis diuersitas entis ab eius differentiis manat: sed, ut visum est ens, præcindit à differentiis substantiæ, & accidentis: ergo prout sic præcisus nullam diuersitatem, adeoque solam unitatem inuoluit. Quocirca vi huius argumenti præcisus entis ab eius diuersitate à substantia, & accidenti, & eius unitas ex eius præcisione quadam quasi gradatione colligitur.

4 Tertio eadem maior de Deo, & creaturis non minus manifeste probatur: tum, quia creatura saltem substantialis est simpliciter ens, & eiusmodi etiam est Deus citra dubium: cur ergo abstrahi nequeat ab utroque vna quædam ratio entis, sicut paulo supradictum de substantia, & accidenti? Tum etiam, quia creatura qualiscumque sit est similis Deo in aliqua

ratione: ergo ad minimum in ratione entis: nulla enim similitudo minor, quam quæ est in conceptu entis: quippe quæ iuxta aduersarios, etiam à specifica maxime distat, vna igitur ratio entis à Deo, & creatura abstrahi potest, cum similitudo sit radix omnis abstractionis, in qua necessario fundatur, Deum & creaturas suas esse similes, colligi potest: tum ex illo Genesios. 1. & ait Deus, faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, ac paulo post ibidem: & creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum: necnon ex illo Pauli ad Romanos, 1. inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per eas, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: ubi Paulus edocet, cognitionem creaturarum nos ducere in cognitionem Creatoris, quod sine aliqua vtriusque similitudine nequit euenire, quemadmodum homo verus, & pictus nisi sint vere ac proprie similes in externa saltem specie, eam habere nequibunt connexionem, merito cuius alter, videlicet pictus, ducere magis possit in notitiam alterius, quam in cognitionem equi, & Leonis. Consonant mille locis Patres, præsertim vero Boetius consolationis suæ metro. 3.

Tu cuncta superno.

Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse.

Mundum mente gerens, similique in imagine formans.

Testantur etiam profanæ literæ quibus nil frequentius, quam Deum per quamdam similitudinem, ac participationem cunctis inesse; quin etiam cuncta esse. Ut enim inquit ille in Pharsalia sua.

Iupiter est quodcumque vides, quodcumque moueris.

Cui simile & illud Nasonis.

Est Deus in nobis, sunt & commercia cælis,

Sedibus æthereis spiritus ille venit.

Suffragatur etiam ratio philosophica me arbitrio manifesta: omnis enim causa est similis effectui omnis enim operatur semetipsam ostentatura, & imaginem sui relictura, in qua post obitum, viuat; ac se se à mortalitate, & obliuione tueatur: atqui Deus creaturarum omnium causa est. Ut enim rectè Boetius ubi supra,

Vnus enim rerum pater est,

Vnus qui cuncta ministrat:

Ille dedit Phæbo radios,

Dedit & cornua lune:

Ille homines etiam in terris

Dedit, & sidera cælo.

Vbi Deus Opr. Max. non tantum causa omnium, sed & pater adstruitur. Cuius etiam veritas lux inter antiquas gentilissimi tenebras quondam affulsit, quibus inuolutus non nemo dixit:

Lucret. lib. 2.

Denique celestis sumus omnes semine oriundi,

Omnibus ille idem pater est.

Quorsum autem Deus nostri pater, nisi ut maior vtriusque similitudo eluceat? filius enim hoc ipso habetur absoluta sui genitoris imago. Atque hæc ratio magna ex parte procedit in substantia etiam, & accidentibus: illa namque per hæc cognoscitur, illa horum causa quod certe veram aliquam vtriusque similitudinem, & cum similitudine conuinctam abstractionem entis arguit, si cuius sunt momenti proxime superius adducti.

5 Quarto probatur illamet maior principalis argumenti. Ens si non significaret notione sua vnum quendam conceptum obiectiuum præcisum à differentiis, sed immediate substantiam & accidens, hæc prædicatio

prædicatio esset vera, *omne ens est substantia*: at hæc prædicatio est manifeste falsa: ergo, &c. sequela haud videtur neganda, quoniam hæc prædicatio, *omnis canis est latrabilis*, vera est, iuxta omnes dialecticos, apud quos celebris est illa regula pro analogis, & æquiuocis *talia sunt subiecta qualia permittuntur à prædicatis*: sed non alia de causa hæc prædicatio, *omnis canis est latrabilis* in veris est numeranda, nisi quia non significat conceptum canis triplici eius differentiæ communem, sed immediate canem latrabilem, sydereum, & æquoreum, ac proinde pro solo primo potest supponere, sicut ad veritatem eius propositionis oportet: ergo si ens non significat vnum aliquem conceptum communem ab inferioribus suis abstractum, sed immediate substantiam, & accidens, ea propositio *omne ens est substantia*, similiter erit vera. Quæ probatio locum etiam habet in Deo & creatura nimirum si inferatur contra aduersarios, fore ut iuxta ipsos hæc prædicatio debeat esse vera, *omne ens est Deus*, aut certe hæc, *omne ens est creatura*, quarum altera est Manichæorum error, Atheismus altera.

6 Quinta eiusdem maioris probatio, entis nomen, si non significaret conceptum aliquem vnum, & communem, atque ab inferioribus præcisum, sed immediate substantiam ipsam, & accidens, Creatorem, & creaturas, ens foret non analogum, sed strictè æquiuocum, consequens contra Rabbi Moysen apud D. Thomam quæst. 7. de potentia articulo 8. & Aureolum apud Capreol. in 1. distinct. 2. quæst. 1. absurdum, & improbabile esse iudicant vel ipsi aduersarii, necnon esse contra Arist. 4. metaph. cap. 2. ubi ad eius initium discretis verbis inficitur ens de suis inferioribus æquiuoce prædicari. Sequela vero suadet hunc in modum: nomen cui ratio omnino diuersa immediate respondet, & accommodatur, eo ipso est æquiuocum: sed substantiæ & accidentis, Dei & creaturæ, quatenus talium ratio est omnino diuersa: ergo si huic voci, *ens*, immediate respondent, ens æquiuocum erit: maior est perspicua, si æquiuocorum definitioni standum: minor etiam liquet: siquidem plus differunt substantia, & accidens Creator, & creatura, quam canis sydereus, latrabilis, & æquoreus: at triplex canis est ratio omnino diuersa, sicut ad æquiocationem oportet: ergo substantiæ & accidentis, & quod creat, & quod creatur.

7 Sexta eiusdem maioris probatio. Quidquid est subiectum veræ contradictionis, debet esse vnum idemque, cum contradictio sit affirmatio, & negatio eiusdem de eodem id quod est ei cum oppositione contraria, necnon subcontraria commune: at ens veram fundat contradictionem aliquarum propositionum, veluti *omne ens est creatum*, *aliquod ens non est creatum*. Rursus: quidquid esse potest medium syllogismi non apparentis, sed veri esse debet vnum, vis enim syllogistica potissime nititur his principiis, quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se, quæ non sunt eadem vni tertio, sed potius alterum ei idem, & alterum ab eo diuersum, inter se distinguuntur inuicem: illud autem vnum tertium à quo mutuatur extrema distinctionem, aut identitatem immediate est proculdubio medium: at ens habere potest rationem medij termini in syllogismo vero, ac nequaquam fallaci, velut *nullum ens est chimæra*, *omnis homo est ens*, ergo *nullus homo est chimæra*. Ex quibus duobus palam efficitur, ens esse vnum: cum ergo eiusmodi esse nequeat in statu contractionis per oppositas differentias, sed potius in eo sit diuersum, relinquatur, ut vnum esse debeat in

statu solius abstractionis: hunc igitur nequaquam reiicit.

8 Septima illius maioris probatio. Nisi admittatur vna quædam ratio entis ab omnibus suis inferioribus abstracta, sed potius ens sit, aut omnino diuersum, aut partim idem, partim diuersum, quorum prius tenent, quibus placet eius æquiuocatio, posterius vero, quibus eligitur eius analogia, profecto sustineri nequibit, Deum esse magis ens quam creaturam, aut substantiam magis, quam accidens: consequens est absurdum; absolumque: quod enim substantia, sit magis ens, quam accidens, est scholasticorum omnium constans opinio, quibus præiudicium tulit Aristoteles id expresse docens. 7. metaph. cap. 5. quod etiam Deus entitate superet creaturam, sententia est tum eorundem, tum etiam patrum passim ita loquentium, Atque vtrumque, non solum auctoritatis præsidio certum, sed rationis etiam lumine videtur manifestum. Sequela autem manifesta, & euidentis apparet. Etenim Aristoteles 7. Physic. cap. 4. quem sequuntur reliqui, docet æquiuoca, quorum nomine analoga comprehendit eiusdem cap. text. 41. & in antepredicamentis, & alibi sæpe nequaquam comparari posse; videlicet quia eorū ratio haud est omnino vna in vlllo statu, sed diuersa. Rursus defectu vnitatis in ratione secundum quam fit comparatio non bene dixeris ludam esse magis peccatorem, quam Christum, aut Christum magis, quam lapidem esse deum, aut hominem esse magis rationalem, quam lignum, aut colorem aliquem esse magis album, quam saporem, aut mel esse absynthio dulcius, aut coruū plus nigricare quam cygnū, aut denique, ut exemplo Aristotelis utar, stylum esse magis acutum, quam sonum. Nisi ergo sit vna quædam entis ratio communis Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti, quæ valeat ab omnibus abstrahi, nequaquam poterit fieri, ut eorum inferiorum aliquod sit magis ens, quam aliud, quæ erat sequela probanda.

9 Et quidem ens esse vniuocum, sicut hactenus probatum approbat Aristoteles lib. 2. metaph. cap. 1 in hæc verba, *Vnumquodque autem præ cæteris maxime ipsum est secundum quod & aliis vniuocatio inest*. Vnde infert ibidem, primum principium esse maxime verum, quoniam est causa vniuoca veritatis cæterorum omnium: cum ergo veritas cum entitate recutrat, eademque sit, erit etiam causa vniuoca entitatis reliquorum omnium, siue quod instar est cum reliquis vniuoce ens, sicut vniuoca ratione verum. Rursus Aristoteles nullam vniquam agnouit analogiam propriè talem, nisi attributionis, aut proportionalitatis, ut constet ex sanitatis homini, eiusque colori, pulsui, & causis communis atque animalis picti, verique exemplis, quibus solis ad eam declarandam vitur: ens autem nec est analogum per attributionem, nec etiam per proportionalitatem, cum propriè & simpliciter conueniat inferioribus suis, & non extrinsece & improprie eorum alicui, more risus, verbi gratia, cum de prato, & sanitatis, cum de medico, colore, pulsui dicitur. Si quando autem philosophus vocat ens analogum, siue æquiuocum id improprie & late accipiendum est, haud aliter, atque cum ait sub genere quod constat esse vniuocum, latere æquiuationes ut variis modis explicabitur infra.

CAPVT II.

Quatenus transcendentia entis eius vniuocationi non obstat.

10 **E**ns esse analogum comparatione substantiæ, & accidentis, Dei, & creaturarum, tuetur Beatus Thomas Capreolus, Ferrara, Caietanus, Iauellus, Sotus, ac ceteri Eius assēclæ. Item Aueroes, Aphrodisiensis, Albertus, Ammonius, Porphyrius, Boetius, & Dexippus. Necnon Alensis, Richardus de Mediauilla, Ægidius, & Auerſa. Rursus ex nostris Suarez in metaph. disp. 28. sect. 3. num. 16. Vasquez 1. part. disput. 22. cap. 5. num. 9. Fonseca 4. metaph. cap. 2. quæst. 1. sect. 5. Rubius in prædicamentis cap. 4. quæst. 4. Hurtadus disput. 9. log. sect. 4. subiect. 5. Tellez. in metaph. disp. 5. 1. sect. 1. num. 4. Iulius Cæsar, Recupitus tom. de Deo lib. 1. quæst. 6. cap. 3. & 4. Idem supponunt Cornimbricenses quæst. 1. prædicamentorum, c. 1. art. 2. à medio, & Pererius lib. 5. philosoph. c. 12. prope finē.

11 Potissimum huius sententiæ argumentum defumitur à transcendentia, merito cuius ens formalissime in differentiis substantiæ, & accidentis, Dei, & creaturarum imbibitur: earum enim quævis est distincta à carentia & chimæra, idque per se ipsam: ergo & à non ente, adeoque est ens: ecquid namque est distinguī à non ente: quam rationem entis vendicare? Porro autem eo vtuntur argumento bifariam aduersarij: ac primo sic, ad vniuocationem entis eius requiritur abstractio, sine qua conceptus entis vnus, ac poinde, nec vniuocus esse potest, vt superius visum: at fieri nequit, vt ens, quod transcendit differentias suas propter rationem nuper insinuatam, aliasque lib. 2. tract. 3. fusè propositas, ab eis simul abstrahatur intellectus nostri beneficio: esset enim in eis ratione nostra ob transcendentiam, & non esset ob abstractionem: quæ tamen duo non magis coherent inuicem, quam si forma quadam physice, ac realiter maneret in subiecto ab simul esset ab eo separata.

12 Vtcrius idem ita confirmant. Ens vi abstractionis non posset non distinguī à differentiis suis, alias fieret animal à rationali minimè distinctum iri: deinde munere transcendentia differentia quævis non posset non identificari ratione nostra cum ente, siue esse formalissime ens: cōcedenda igitur est inter ens & eius differentias distinctio rationis irreciproca quam tamen exemplo distinctionis realis, quæ semper mutua esse debet, reiiciendam esse constat. Ne sequatur ergo huiusmodi incommodum, censendum est, ens quod transcendit differentias suas ab eis abstrahi non posse. Abstractionis autem expers, hoc ipso nequit esse vniuocum, ac proinde analogum. Quod si huius argumenti & confirmationis vim labefactare cupiens dicas, duplicem rationem entis distinguī posse & debere, aliam in differentiis formaliter imbibitam, & hanc ab eis abstrahi non posse, aliam à differentiis abstractam, & hanc in eis formaliter non manere, quam obrem concessa entis transcendentia, eiusdem abstractionem inadæquatam cum illa coherere posse, eamque inadæquatam appellandam, non quod ratio entis ab omnibus differentiis non abstrahatur, sed quod non omnis ratio entis, sed aliqua ab eis sit abstracta. Quod si inquam ita obicias, facile poteris repellī: quoniam nulla ratio entis, est, quæ à differentiis abstrahi nequit, vbi semel aliqua abstrahi possit, at aliqua ratio entis, non obstan-

re transcendentia à differentiis abstrahitur vel iuxta iuxta instantiam factam: ea ergo non obstante abstrahetur à differentiis omnis ratio entis, ac poinde huius abstractio erit adæquata, seu adæquatio appellet supra differentias, seu etiam supra rationem entis, Maior probatur, quoniam si aliqua ratio entis non posset abstrahi à differentiis maxime ea, quæ in illis formaliter imbibitur: at hæc ab eis abstrahi potest, ergo nulla ratio entis est, quæ non sit abstractioni obnoxia: ea namque ratio entis à differentiis abstrahi potest, in qua similes sunt, cum similitudo sit abstractionis radix: at per rationem entis in differentiis formaliter imbibitam, differentia in ratione entis non valiter modo, verum etiam ratione nostra similes sunt, quando ab illa ratione entis sortitur vtrique quod sit formalissime ens.

13 Ceterum, quamuis Vasquez, Fonseca, Caietanus, Ferrara, & alij quidam ad initium huius capitis citati, eosque præter Heruens quodlibet 2. quæst. 7. Flandria 4. met. quæst. 2. artic. 6. Soncinas 4. metaphys. quæst. 2. & 3. Hispalensis in 1. distinct. 3. quæst. 1. Malus, Onna & Gallego tom. 1. controuers. 22. §. tertia sententia, putent ens neququam abstrahi posse à suis differentiis; contrarium est à nobis supra cap. 1. satis cumulateque probatum, eique inhaerent, tum omnes, qui vniuocationem entis admittunt, tum etiam ex aduersariis, Capreolus Sotus, Suarez, Hurtadus, Tellez, & Zumel. 1. p. quæst. 13. art. 1. alijque per plures, quos refert superuacat. Ens autem transcendere differentias nominatas suorum inferiorum, haud tollit eius abstractionem: nam, vt visum est tract. præced. non transcendit differentias vltimas & innominatas, in prioribus tacite latentes: quod sufficit vt à nominatis necnon ab inferioribus speciebus quæ complectuntur ambas videlicet eas, quæ nomine carent, quæque eo gaudent, abstrahi valeat, haud secus atque animal abstrahi potest ab homine, equo, quia in vtroque aliquid inuoluitur non transcendens ab illo tamen de vtriusque adæquate sumpti ratione sit, atque vtrumque ita transcendat. Rursus fac ens transcendere differentias, etiam vltimas, & innominatas inadæquate quidem, propterea quod quævis earum sit res solubilis in aliam quæ est ens, & aliquid aliud, & hoc aliud similiter resolui possit in aliud, & sic infinitum, sanè hoc abstractioni entis haud quaquam obstat: nam penes aliud, & semper aliud manet in eiusmodi differentiis, & ab illis separatur. Vide huiusmodi libri tractatum præcedentem, semel iterumque laudatum vbi latè dissoluntur argumenta omnia, tum aduersus primam a solutionem negantem omnem entis transcendentiam respectu earum differentiarum quæ sunt nominis inopes, tum etiam contra secundam admittentem necesse esse vt ens eiusmodi differentias saltem inadæquate transcendat.

14 Propterea alij secundo aliter vtuntur transcendentia entis ad eius vniuocationem euertendam; sic nimirum, Ratio entis huic voci ens respondens est partim eadem, partim diuersa: ergo ens analogum est, & non vniuocum: antecedens probatur: quoniam ratio entis abstracta est eadem: at illam ratio entis, est diuersa: est ergo partim eadem, partim diuersa: maior est conspicua ex cap. 2. vbi ens abstrahi & prout abstractum vnus esse satis manet ostensum: minor probatur quia substantia & accidens secundum differentias diuersa sunt: at differentia entis sunt formalissime ens, siue ab ente transcendentur, vt paulo superius insinuatam, suoque loco fusè probatum: igitur secundum rationem entis, qua ens est, substan-

substantia & accidens dissident, ac per consequens ratio entis, quatenus talis, est diuersa.

15 Huic tamen obiectioni facile praeccludi potest aditus. Namque in primis verius est, ens non transcendere differentias ultimas, & innominatas, nec eiusmodi transcendentiam cum eius abstractione coherere. Deinde esto cohereat, adhuc entis analogia nequit inde concludi: tum quia ratio animalis est eadem in statu abstractionis, & diuersa in statu contractionis: sed haec identitas, & diuersitas animalis est ad eius analogiam insufficiens: quamuis igitur ratio entis sit eadem in statu abstractionis, huius videlicet beneficio, & diuersa in statu contractionis propter transcendentiam, nihilominus analogia non erit: quocirca non eo differunt ens, & animal, quod in duplici illo statu vtrumque identitatem cum diuersitate coniunctam minime obtineat, sed in eo, quod animalis diuersitas ei à differentia distincta quasi extrinsecus adueniat, entis vero diuersitas ei à differentia indistincta, veluti intrinsecus competat: quod ad analogiam est imperinens, siquidem ratio per aliud diuersa simpliciter est, atque absolute diuersa: tum quia omnis diuersitas entis à differentiis provenit: sed differentiae entis non accommodantur huic nomini *ens*, eique tamquam signo sibi imposito non subiacent, sed potius hoc habet sola ratio ab eis abstracta, sicut nomen animal immediate imponitur rationi communi animalis non eius differentis, aut speciebus: igitur ratio nomini entis accommodata, adhuc admittit transcendentiam, non potest esse diuersa, ac proinde nec analogia: tum, quia, si transcendentia analogiam argueret, ens non minus analogum esset respectu hominis, & equi, aut Petri, Pauli, triumue diuinarum relationum quam comparatione substantiae & accidentis, Dei, & creaturarum, cum ex aequo differentias omnes transcendat, siue sint ei proximae, siue interiectu alicuius generis aut speciei alterius rationis communis à se distent, ac remoueantur: Sed entis analogia respectu Dei, & creaturarum, substantiae & accidentis specialis est, nec intuitu huius, & illius speciei, aut individui, huius, aut illius diuinæ relationis admitti potest ut est in confesso apud B. Thomam 1. p. quaest. 13. art. 5. ad 1. & Fonseca supra lib. 4. metaph. cap. 2. quaest. sect. 5. §. Illud tamen praetereundum non est: & sequent, aliosque aduersarios communiter. Atque huc spectat, quod ab vtriusque partis assertoribus frequenter dici consuevit, sicut multa reducuntur ad vnum, illudque cohibent, ita æquiuocationem plurium reuocari ad vniuocationem quorundam, eamque comprehendere.

C A P V T III.

Quatenus inaequalis participatio entis eius vniuocationi non obstat.

16 S E C U N D U M argumentum principale pro analogia entis confici solet in hunc modum. Ratio entis quantumcumque abstracta à Deo, & creaturis, substantia, & accidenti, adhuc est diuersa: cum ergo aliunde sit munere abstractionis eadem, partim eadem, & partim erit diuersa, sicut ad eius analogiam opus: antecedens probatur, haud enim eget consequentia probamento: ratio entis, quantumlibet abstracta, petit inaequaliter participari à differentiis & inferioribus suis videlicet prius à Deo, & substantia,

ac posterius à Creatura, & accidenti, ab illis independentem, ab his vero cum dependentia, & subordinatione quadam: sed haec exigentia, quae ens inaequaliter descendere postulat, est quaedam diversitas & inaequalitas in actu primo, siue in ipso abstractionis statu, ergo, &c. Maior suaderetur: quoniam ens eo modo exposcit participari ab inferioribus, quo potest ab eis participari, nisi vero eius appetitus, & contentio sit ad impossibile: sed non potest ab eis participari nisi cum ea inaequalitate, quae explicata remanet. Ita P. Suarez & quaedam eorum, quos initio capitis praecedentis retulimus.

17 C A T E R U M haec ratio non paucis difficultatibus est obnoxia: nam imprimis omne genus petit inaequaliter participari, cum possit ita participari, ab inaequalibus differentiis, & quarum aliae sint perfectiores aliis: nullum igitur genus vniuocum erit, solaque species vniuoca censenda est ubi inaequalitas vniuocationi semel obstat & analogiam importet. Deinde natura diuina est omnino eadem reipsa tamen diuersimode, & cum ordine quodam, aut si mauis, prioritate originis tribus communicetur personis: similiter ergo, quamuis ens diuersimode & cum ordine quodam ab inferioribus participetur, eius temen ratio erit per intellectum omnino eadem, sicut ad vniuocationem oportet. Rursus, qualitas de luce & calore, de actu, & potentia, nimirum de intellectu, & intellectione, de hac & amore vniuoce dicitur, cum praedicamentum & genus sit, genus autem vniuocum esse debet: at qualitas inaequaliter ad eas differentias descendit prius scilicet ad lucem, potentiam, & cognitionem, quam ad calorem, actum & amorem, atque ad has species dependentem, & ad illas independentem prorsus. Idem argumentum fieri potest in substantia comparatione materiae, & formae in viuente respectu animalis, & hominis, & id genus aliis. Demum à priori ens, prout est dumtaxat ens, entisque nomenclaturae subiaceret praescinditur, non tantum à differentiis ipsis sed etiam ab earum exigentia & inaequali respectu, solamque aptitudinem ad esse concernit: sicut ergo ratio entis ut sic non est diuersa in actu secundo per ipsas differentias, ita nec in actu primo per supradictam exigentiam à qua non minus quam ab illis abstrahitur. Aut paulo aliter: conceptus obiectiuus entis per intellectum praecisus hoc tantum habet in statu praecisionis, quod repraesentat conceptus eius formalis: hic autem nec exprimit differentias ipsas, nec inaequalem earum appetitum, sed dumtaxat aptum esse: conceptus igitur obiectiuus entis in statu praecisionis nec differentias vllas habet, nec vllas inaequaliter deposcit.

18 A L I J aliter inaequalem participationem entis eius existimant vniuocationi obesse: videlicet, quia ens & existens in idem recidunt, & ideo creaturae possibiles non erunt simpliciter ens cum simpliciter non existant, Deus vero erit simpliciter ens, cum necessario ac simpliciter existat: ac proinde ens respectu vtriusque analogum erit; quemadmodum homo comparatione hominis veri, & hominis secundum quid & effigati. Antecedens probant: tum, quia esse, & existere sunt idem: ergo & ens, siue essens idem erit, atque existens; quo pacto, quia non sunt distincta candidum, & album, nec distingui possunt candor, & albedo, unde sumuntur praedictae denominationes: tum etiam, quia id non semel docet S. Thomas praesertim vero 1. p. quaest. 5. art. 1. ad 2. secundum hoc simpliciter aliquid dicitur ens secundum quod primo discernitur ab eo quod est in potentia tantum.

tantum : at nonnisi per existentiam ab eo quod est in potentia quiddam discernitur : ergo in tantum ali- quid est ens simpliciter, in quantum est existens. Adii- ciunt, nec intuitu creaturarum existentium, & Creato- ris ens esse vniuocum ; quoniam ad vniuocationem opus est, vt inferiora necessariò, & essentialiter ean- dem rationem participant ; creatura autem contingent- ter, & solus Deus necessariò & essentialiter existunt.

Contra tamen quamuis ens participialiter sum- ptum, siue prout est participium à verbo, *sum*, perin- de sit quod existens ; ceterum vt rectè monent P. Suarez d. 2. metaph. sect. 4. & Fonseca lib. 4. metaph. cap. 2. nominaliter sumi potest, & solet pro eo quod habet aptitudinem ad esse, seu existerere, sicut viuens non solum significat id quod actu secundo viuit, ac mouet sese, verum etiam id quod est principium vitæ, quod viuere potest ; qua ratione animal, esto ab omni actione vitæ superseceat, viuens tamen sen- sibile dicitur, ac definitur : at creaturæ possibiles, quantumlibet non existant, habent tamen simpliciter aptitudinem ad esse : erunt ergo simpliciter ens, ac proinde, in ratione entis cum Deo vniuoce conue- nient. Vide dicta à nobis supra lib. 2. huius operis tract. 1. per totum, vbi statuimus, ens vno sensu id est nominaliter sumptum, simpliciter dici de creatu- ris merè possibilibus ; alio verò sensu, nempe parti- cipialiter acceptum dici simpliciter de solis creaturis existentibus. At prior illa acceptio entis simpliciter talis & tamen Deo, & creaturis tantum possibilibus communis, satis est, vt ens simpliciter sit, respectu earum Deique à quo sunt possibiles, vniuocum.

19 Contra secundo : quia ad vniuocationem non re- quiritur, vt vniuocata eandem rationem necessariò, & essentialiter participant : ens igitur respectu Dei, & creaturarum saltem existentium erit vniuocum : antecedens probatur : tum quia calidum de hoc, & illo subiecto vniuoce prædicatur : cur enim genus, species, & reliqua prædicabilia sint vniuoca potius, quam accidens, quantum, & vltimum prædicabile ? sed calidum non prædicatur necessariò, & essentiali- ter de vilo subiecto, vel certè, quod satis est, non de omnibus : tum à priori, quia ad vniuocationem suf- ficat, vt vniuocata simpliciter, ac verè rationem vniuocam participant, siquidem id satis est, vt ratio illa ab iis abstrahatur, & sic abstracta omnino sit vna, & eadem, eodemque nomine designetur : at vniuo- cata rationem vniuocam simpliciter participare pos- sunt, esto eam necessariò, & essentialiter non vendi- cent, quemadmodum obiectum simpliciter, & verè cognitum denominatur, esto non sit necessaria, & essentiali ratione cognitum. Contra tertio : quoniam ens non magis analogum est respectu Dei, & crea-urarum, quam substantiæ, & accidentis si authori- tate Aristotelis standum ; at iuxta hos auctores ens non esset analogum respectu substantiæ, & acciden- tis, sed intuitu solius Creatoris, & creaturarum : ergo is modus tuendi analogiam entis parum habet ponderis, quippe qui non est ad mentem Aristotelis. Minor, haud enim de maiori potest esse controuersia, suadet hunc in modum : substantia non magis sim- pliciter, nec magis necessariò & essentialiter existit, quam accidens, cum vtrumque ab existentia actuali, & necessaria præscindat : haud ergo in eis locum ha- bet, ratio quapropter asseritur, Deum, & creaturas in ratione entis non vniuoce, sed analogice conuenire.

20 Respondent aduersarij, ens in sententia Aristote- lis esse analogum respectu substantiæ, & accidentis, eo quod materia prima de eius sententia necessariò ac tota retro æternitate sit existens : Vnde substantiæ

creaturæ quoad materiam, quam includunt necessariò existunt, & cum accidentibus merè analogice conue- nient : quocirca modus hic tuendi analogiam entis respectu Dei, & creaturarum est ad mentem Aristo- telis, ipse siquidem eo vsus est ad explicandam analogiam eiusdem entis comparatione substantiæ & accidentis, quamuis falsò, & contra fidem orthodo- xam, quæ constituit materiam omnium, & singula- rum rerum, nec necessariò, nec æternum existere. Contra tamen, quia si ea esset mens Aristotelis, quam hi auctores arbitrantur, iuxta ipsum ens non esset analogum respectu substantiæ vt sic & acciden- tis, cum plures substantiæ, nec simpliciter, nec ne- cessariò existant, non simpliciter, quæ nimirum sunt merè possibiles, aut futura, non necessariò, quæ vi- delicet tanquam formæ ei inhærent, sed compara- tione accidentis & aliquarum substantiarum, quæ existentiam necessariam ac simpliciter talem sortiun- tur. Deinde iuxta Aristotelem ita expositum, sub- stantia foret analoga intuitu substantiæ spiritualis, & materialis, intuituque formæ & materiæ : quocirca iuxta eum ens non magis analogum esset ad substan- tiam & accidens, quam substantia ad hanc, & illam quod falsum tamen. Denique secundum philoso- phum ens non esset analogum respectu substantiæ, & accidentis vt sic, cum aliquod accidens in sen- tentia ipsius simpliciter, & necessariò existat, nimi- rum quantitas, quæ est materiæ coæua, ab ea si distinguitur, aut vbitas vagè & indeterminatè sumpta.

Alij tandem apud Arriagam disp. 11. log. sect. 4. aliter ex inæquali participatione entis eius colligunt analogiam, & censent, ens esse vniuocum in ordine ad perfectiorem substantiæ, & inhærentiam accidentis propriam : item ad corporeum, & incorporeum, &c. analogum vero in ordine ad differentias, quæ ab eo inæqualiter distant, videlicet primam, secundam, tertiam, & cæteras, quales sunt, perfectas, corpo- reum, viuens, sensibile, ininibile. Hi etiam profus displicent : tum quia omnia ferme argumenta contra P. Suarez, & eius in præfenti sectatores obiecta pos- sunt in eos reici : tum etiam, quia multo magis dif- ferunt, differentia immediatæ, & æque primo oppo- sitæ, quarum alterutra est extra rationem alterius, quam differentia mediata, & inuicem subordinata, quarum vna clauditur in alia : sed respectu horum ens est vniuocum ; à fortiori igitur erit eiusmodi intuitu illarum.

CAPVT IV.

Alia aduersus vniuocationem entis argumenta soluta.

22 Plures Thomistarum apud P. Suarez supra disp. 3. 1. metaph. sect. 2. num. 5. prope medium ita vniuo- cationem entis oppugnant. Si ens esset vniuocum respectu substantiæ, & accidentis, Dei, & creatura- rum, esset genus : at rationem generis neutiquam ob- tinet : ergo &c. maior probatur : tum, quia si esset vniuocum, esset vniuersale, at non aliud quam ge- nus : tum etiam, quia genus est vniuersale, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid, admissa autem vniuocatione entis esset vniuersale, necnon prædicaretur de pluribus differentibus spe- cie, siue de similibus inuicem, vt certo certius ; & quod superest in quid ; ecquid enim potest esse ma- gis quidditarium quibilibet inferioribus, quam conceptus entis ? Consequens autem absurdum esse probatur :

probat: tum, quia Aristoteles 3. metaph. cap. 26. & 8 metaph. cap. 8. & alibi non semel, ens respectu prædicamentorum genus esse disertè negat. Aristoteli consentit B. Damascenus cap. 2. Dial. his verbis: *substantia non est species: non enim habet supra se genus, sed ipsa est primum, & generalissimum genus.* & infra cap. 30. *Ens dividitur in substantiam, & accidens non ut genus in species.* Tum quia prædicamenta omnium consensione sunt suprema rerum genera, & inter se primo diuersa, quorum neutrum esset verum, si ens esset genus in quo prædicamenta conuenirent. Tum quia Deo, & creaturis nullum genus commune esse potest, eorum enim infinita distantia genericam conuenientiam excludere videtur, esset autem eis genus aliquod commune, si ens ut sic rationem generis vendicaret. Tum quarto, quoniam in Deo esset compositio ex genere & differentia, contra quam eius summa simplicitas postulat, si ens foret genus. Tum denique, quia Deus non est in prædicamento, ut scholastici communiter censent, esset autem in eo, si ens posset in generibus numerari: siquidem à fortiori substantia ut sic respectu Dei, & creaturæ genus esset, ac proinde Deus esset in prædicamento, seu genere substantiæ.

23 Respondeo cum P. Suarez disputatio. & sect. nuper citatis num. 1. c. negata sequela: quoniam, ut ens genus sit, præter vniucationem opus est, ut differentias non transcendat, & sit extra illarum conceptum, ut sic more aliorum generum cum differentis suis compositionem faciat metaphysicam, ac species subicibiles siue subalternas constituat: ens autem, quamuis vniucum sit, iuxta non paucos aduersarios differentias suas etiam ultimas transcendit, quod & ipse satis arbitror probabile, si sermo sit de transcendentia inadæquata. Deinde, ut ens genus sit, & ad primum prædicabile spectet, verisimile est, requiri ut in prædicamento sit: cum enim Porphyrius auctor prædicabilium ea ad prædicamenta destinauerit, quod prædicamentale non fuerit, id ad nullum prædicabile spectare posse videtur: ac ens, quantumcumque vniucum, haudquaquam est in prædicamento, cum decem prædicamenta sint decem supremæ rationes inferiores ente, illudque adæquare diuidentes. Præterea non parum probabile est desiderari ad genus primum prædicabile ut habeat supra se rationem aliquam communem à qua logicè dimanet, ut ex eius proportionem liquet, cum genere naturalio: genus namque logicum alicuius genus esse debet, sicut etiam genus physicum Iuliorum ex gratia alicuius, videlicet Iulij esse oportet: quare ut genus physicum necessario præsupponit principium aliquod physicum à quo plures originem ducant, ita genus logicum præsupponere debet rationem aliquam superiorem, seu principium logicum, & vniucum & in subsistendi consequentia prius: cum ergo ens ut sic, esto vniucum, nullam rationem superiorem, saltem vniucam, præsupponat, sanè genus esse non poterit. Rursus ad genus fortassis opus est, ut certas sibi species asserat, nec per omnes longè latèque vagetur: haud enim definitur genus, quod prædicatur de omnibus differentibus specie in quid, sed potius quod de pluribus, ut latius expendimus in Dial. lib. 9. tract. 2. c. 1. paulo post medium, ens autem est ex sex transcendètibz vnum, & in omnes prorsus species manat. Quamobrem ob has, & alias conditiones cuius obuias, inuentuque faciles defendi facile potest, ens, quantumlibet vniucum sit, nihilominus haud esse genus, pro eo ac Arist. & antiqui eius interpretes insinuare videntur.

R. P. Richardi Linnei, Philosoph. Tom. III.

Et quidem sicut aduersarij ad genus vniucationem postulant, quam tamen eius definitio non exprimit ad summum enim in ea expressum habetur, quod genus debeat esse vniuersale, seu prædicabile; vniuersalitas autem, & abstractio rationis communis per intellectum nequaquam recurrit cum eius vniucatione, vel iuxta plerorumque contrariorum sententiam: ita hæ conditiones à nobis paulo supra adductæ respui non debent, eo quod in definitione generis nequaquam exprimantur, cum subauditas esse sufficiat quemadmodum subauditur vniucatio. Quid? quod, ut disput. P. Suarez loco superius citato, multorum probabilis opinio sit, accidens respectu nouem Prædicamentorum primo succedentium; item motum comparatione actionis, & passionis; nec non ens ipsum intuitu specierum eiusdem generis, & indiuiduorum eiusdem speciei, ac denique personam diuinam, ut sic, gratia trium esse rationes vniocas, nullam tamen earum esse genus: similiter ergo poterit ens vniucum esse per immediatum respectum ad substantiam, & accidens, Creatorem, & creaturas, quin hoc ex titulo rationem generis inducat. Prior autem sequela hætenus negata probatione non vrget: quod enim ens merito vniucationis sit vniuersale, nequaquam arguit, illud esse vnum aliquod ex quinque vulgaris speciebus vniuersalis, adeoque genus cum scilicet aliud esse nequeat: Siquidem non omne vniuersale comprehendere debet eo prædicabilium numero quinario: sed tantum id, quod habuerit conditiones paulo supra recensitas, aliquam certè earum si non omnes: quodque sit extra conceptum inferiorum, illumque adæquatè non transcendat: vel quod non sit extra omne prædicamentum: vel quod contineatur sub aliqua ratione communi vnioca; haud enim genus solum alicuius genus esse debet, sed à fortiori species alicuius species, & sic in reliquis: vel denique quod destinata quædā inferiora non vero omnia fortiaur. Nulla autem harum conditionum conuenit in ens, ne dum omnes: proinde mirum non est, si ad nullum prædicabile eorum, quæ Porphyrius assignauit, attineat. Atque hinc constat ad secundam probationem sequela; quippe quæ contendit definitionem generis enti competere, quod tamen, etsi verum sit penes conditiones in ea expressas, secus tamen quoad eas, quæ in illa latent tantum, & hætenus sunt in transcurso insinuatæ semel atque iterum.

25 Respondeo 2. concessa sequela & negata absurditate consequentis, quod deducitur. Ad primam probationem contrariam dicendum est, Aristotelem, & Damascenum negasse, ens esse genus non in præcipuo huius quæstionis sensu usurpatum, & propterea significat meram aptitudinem ad esse, sed in alio cap. sequenti explicando iuxta quem est analogum, Ad secundam probationem contrariam: prædicamenta non sunt absolute suprema genera; quod vel ex eo constat, quia decem posteriora habent accedens se superius, & hoc respectu illorum est genus, non minus quam substantia in communi respectu quarumcumque particularium: sunt ergo suprema genera prædicamentalia eo quod ens in nullo prædicamento sit, & extra decem illas vniuersales rerum classes sit ab Aristotele collocatum: eadem ratione primo diuersa sunt eo quod in nullo prædicamento conueniant: vel suprema & primo diuersa genera fortasse dicta sunt, quia valde vniuersalia & diuersa. Ad tertiam probationem aduersariam: quod Deus & creatura reipsa infinite distent haud tollit eorum conuenientiam vniucam, aut vnitatem intellectus præcisione factam: A a talis

alis autem est generica : huic ergo intercedere nequit infinita distantia creatoris, & creaturarum. Ad quartam probationem aduersariam : sum. na simplicitas Dei, vt non vetat eum distingui ratione nostra in plures formalitates, ita nec eum componi intentionaliter ex genere & differentia vt constat ex dictis supra lib. 3. huius operis tract. 1. cap. 1. & 2. nec non in Dial. ad finem libri octau. Ad quintam & vltimam : probabilius est Deum esse in prædicamento vt fuit à nobis explicatum est locis iam iam indicatis. Atque ens esse genus complures ingeniosi recentiores nostri, præsertim vero Arriaga disp. 7. log. sect. 1. subf. 5. & disput. 11. sect. 6. Huic etiam sententia fauere Scotum, & Gabrielem testis est Tellez in metaph. disput. 5 2. sect. 2. num. 8. quamuis ipse sequatur contrariam. Denique idem sentit Plato in sophista & Parmenide.

26 Præterea arguunt contrarij. Si ens esset vna quædam ratio abstracta ab inferioribus, quemadmodum exposcit eius vniuocatio, tanè idem sub eadem ratione prædicaretur de aliquo, quoties hoc definitur : nam genus, & post illud differentia dicitur de omni definito : sed in genere includitur ens, & etiam in differentia, aliunde vero est vnum, idemque respectu vtriusque, quam ei gratiam præstat vniuocatio : aliquid ergo vnius, eiusdemque rationis bis prædicabitur in quacunque definitione : hæc autem geminatio est inutilis, & nugatoria : haud ergo est admittendum ens esse vniuocum, vnde ea sequitur super alia incommoda superius obiecta.

27 Huic argumento satis, cumulateque factum est in simili supra tract. præced. cap. 5. ibi enim visum est cum definitur substantia *ens per se* posteriorem particulam, nempe *per se* restringi à priori, eiusque restrictionis causa non significare ens, quam tamen solitarie sumpta citra dubium esset significatura, atque ita cauere ne ens prædicetur de substantia nisi semel. Similiter ergo in præsentī dicendum cum ens prædicatur in definitione hominis, verbi gratia prout clausum in genere, nequaquam postea prædicari ratione differentia, id est rationalitatis : hæc enim vi præcedentis generis cohibetur, ne quidquam aliud significet, nisi quod superaddit generi, neuè aliquid vtrique commune. Verum enim vero tam rigorosa solutio huic nequaquam est necessaria argumento, quippe quod pensi non habet aliquid in definitione bis dici : dammodo dicatur sub diuersa ratione : at in nostris principiis ens non prædicatur bis sub eadem ratione, sed sub diuersa, videlicet, prout contractum per differentiam, & genus, quæ quam sint inuicem diuersa, quis ambigat? Quocirca in eo conuenimus nos & huius auctores argumenti, quod iuxta ambos ens bis dicatur in definitione hominis, verbi gratia, primo quidem animalis beneficio, & postea cum ventum est ad rationalitatem; nec non etiam in eo quod vtrobiq; prædicetur ens sub diuersa ratione : Cæterum in eo differimus, quod iuxta illos diuersitas entis ei omnino intrinsecus congruat, haud enim de illorum sententia ens abstrahitur aut separatur à genere, & differentia haud etiam hæc sunt vicissim ab ente distincta, iuxta nos vero diuersitas entis ei veluti extrinsecus adueniat, propter abstractionem entis à partibus definitionis, & harum contrà ab ente distinctionem quoad rationes saltem vltimas & innominatas. Parum tamen interest hoc aduersariorum, & nostri discrimen, quod ad præsens institutum, & inutilem entis geminationem effugiendam attinet, vt palam est.

28 Argumentantur vltèrius aduersarij sic. Vbi ratio entis sit vniuoca vnave, & abstracta ab inferioribus,

ea necessario debet esse vel absoluta vel respectiua; hæc namque denominationes sunt inter se immediate oppositæ, cum non possit dari medium inter esse ad aliud, & non esse ad aliud, esse autem quid absolutum, perinde sit, atque non esse ad aliud, & respectiuium item atque esse ad aliud : sed ratio entis in communi, & prout abstracta ab omni ente in particulari haud est absoluta, aliàs de entibus relatiuis minimè posset prædicari, haud etiam respectiua, aliàs nequaquam complecteretur entia absoluta : nulla igitur est. Huic argumento simile est quod alij opponunt, ens prout abstractum à Deo & creaturis oportere esse finitum, aut infinitum, neutrum autem esse posse. Prætermisissis aliorum solutionibus respondeo cum Francisco Mairon in tract. de vniuocatione entis eius rationem abstractam, & vniuocam haud esse formaliter, & in statu præcisionis absolutam, aut respectiuam, atque inter has duas denominationes dari medium per intellectum præscindentem ab illis conceptum entis : cæterum eam realiter sumptam, & prout identificatam cum inferioribus esse simul absolutam, & respectiuam, penes tamen aliud & aliud, non vero secundum idem. Quæ etiam solutio accommodari potest eidem argumento, si oppositas denominationes finiti, & infiniti, Deo, & creaturæ conuenientes opponat.

Arguunt denique, qui æquiuocationem entis tuerentur : Analogia perinde est, ac proportio, vt ex Cicerone, Augustino, Fabio in Dial. libro 3. tract. 2. capite 5. animaduersum est : at inter finitum, & infinitum, cuiusmodi sunt Creator, & creatura nulla potest esse proportio : ille omniscius, nos omnium insciji ac veluti Phariis, Cimmeriisque tenebris immergi : ille cunctipotens, nos nobis relictis ne possumus nihilum : ille crassis nostræ mortalitatis radiis imperuius, nos visibiles & conspicui : ille nullo temporis, aut loci spatio definitus, nos locotum angustiis claudimur, & cum tempore rapimur eo paulo minus fugaciores : ille bonorum omnium possessione cumulatus, nos omnium egeni : quid multa?

Ille quidem totum, cætera cuncta nihil.

Quæ cum ita sint, nec de dignitate creatoris, nec de creaturarum vilitate eum putas rectè sentire, qui, vel creatorem ad aliquam cum eis proportionem, aut analogiam deprimit, vel has ad illum attollit. Quod si ens nequit esse analogum respectu vtriusque; multo minus vniuocum; etsi nec proportionem habent, qui contingere potest, vt vnitatem & vniuocationem quæ quamuis proportionem superat, & cum summa distantia dñm extremorum iungi difficilior est multis partibus : sed hoc argumentum nihil habet momenti; nam inter finitum, & infinitum, Deumve, & creaturam haud est vlla proportio, quatenus hæc significat habitudinem determinatæ distantia, secus verò prout similitudinem, & imitationem quandam.

C A P V T V.

Solutio autoritatum aduersus nostram sententiam, & aliqualis contrariæ defensio.

A Ristoteles 4. metaph. text. 2. & 7. metaph. cap. 2. & 11. metaph. cap. 3. & 12. metaph. text. 28. & 7. ethic cap. 6. & alibi sæpè expressis verbis docet ens esse analogum respectu substantiæ & accidentis, Creaturæ, & Creatoris (eadem enim est iuxta ipsū, eadē iuxta cæteros omnes vtrorumque inferiorum ratio quoad præsens attinet institutum) Non longè ab Aristotele abesse

abesse videntur SS. PP. quoties de ente, atque etiam de aliis prædicatis Deo, & creaturæ communibus sermonem habent: frequens enim apud ipsos est Deum non esse propriè ac formaliter ens, substantiam, mentem, rationem, &c. sed supra ens, substantiam, & alias eiusmodi perfectiones; earumque causam efficien-tem finem aut exemplar in quo eminenter elucet: qua phrasi satis perspicuè insinuant nullum prædica- tum Deo & creaturis vniuocum esse sed omnem eor-um conuenientiam esse analogicam: quemadmo- dum cum dicimus medicinam non esse formaliter & propriè sanam sed sanitatis causam petinde dictum est, atque notionem haud esse vniuocam respectu medi- cinæ & hominis, cui adhibetur. Ita vero loquuntur præter alios innumeros Damascenus lib. 1. de fide cap. 4. *Neque enim eorum que sunt, quicquam est: quod quidem non ita accipiendum est quasi non sit, sed quia supra omnia que sunt ipse sit, atque adeo supra ipsum esse* Boëtius lib. de Trinit. circa medium nam substantia in illo non est vere substantia sed ultra sub- stantiam. Dionysius de mystica Theologia. cap. 5. *profitemur nec animam, esse, nec mentem, nec visionem, aut opinionem, vel rationem, vel mentis notionem habere, nec rationem esse, nec mentis perceptionem.* Elias Cretens. in orationem. 24. Nazianzeni: *Deus ut Sanctus Dionysius ait est quidem causa us que sunt ut sint ipse autem non est, ut qui nihil horum que sunt sed supra omnia sit.* Quæ & alia testimo- nia latius proponit & exponit. P. Vazquez tom. 1. in 1. part. questione 3. art. 5. disputatione 22. ca- pit. 6. Eorum ergo & Aristotelis authoritati ve- ratisfaciam & aliquid contrariæ sententiæ defor- mam accurate explicandum est quatenus ens esse possit analogum sine præiudicio tamen vniuocatio- nis superius illustratæ, & longe alio intellectu.

31 Primo id præstant nonnulli distincta duplici analo- gia, alia secundum esse, alia secundum rationem: quarum hæc est propria illa vero impropria: Anal- gia secun- dum esse est, qua ratio substantiæ voci analogæ acco- modata ex parte rei ipsius & ante omnem operatione intellectus est quodammodo partim eadem partim di- uersa: eadem, quia similis, diuersa quia dissimilis siue intrinsecus siue extrinsecus, & à differentiis superad- dictis: similitudo namque est quedam identitas, quam- uis lata, sicut dissimilitudo diuersitas secundum Aristotelem 3. metaph. aliisque locis: Analogia se- cundum rationem est qua ratio substantiæ nomini analogo respondens, ut abstracta per intellectum, est partim eadem partim diuersa: diuersa quidem, quia conceptus formalis vtriusque analogati est di- uersus, ac proinde conceptus obiectiuus, cum hic non possit ab illo non mutuari diuersitatem; ead- em, quia conceptus formalis & obiectiuus, vtrius- que analogati est similis, seu proportionalis, ac proinde vnus, & idem, vti superius explicatum. Priori autem illa analogia ens respectu Dei, & crea- turæ, substantiæ, & accidentis analogum esse li- quet, tum ex eius definitione, tum, quia ens est æquiuocum secundum esse, ut expressè docet B. Thomas 1. part. quæst. 13. art. 10, quidni ergo possit esse analogum secundum esse?

32 Secundo alij analogiam diuidunt in eam, quæ est secundum rem, & eam, quæ est secundum nomen: hanc propriam, & illam impropriam. Analogia se- cundum nomen est ea merito cuius nomen inæqua- liter vni significatio accommodatur & alteri, videli- cet vni prius, & principalius, alteri posterius, & minus ex principali, vni independenter ab alio, al- teri vero dependenter, vni ex prima qua institu- tione, alteri translatiue & vi solius vltus, ut de-

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

claratum in loco. Analogia secundum rem est, qua res ipsa nomini analogo subiecta participatur ab vno inferiori, & alio, cum inæqualitate & depen- dentia. Quando autem ratio entis conuenit inæqualiter Deo, & creaturis, atque his depen- denter ab illo; quando etiam simili modo parti- cipatur à substantia, & accidenti, nil mirum, si analogiam secundum rem vendicent, tametsi eam quæ est secundum nomen, magisque propria, pro- cul habeant.

33 Contra vtramque analogiam obiici potest. Ens iuxta Aristotelem aliquo modo analogum est com- paratione Dei, & creaturæ, substantiæ & acci- dentis, quo animal. v. g. & aliæ rationes enti subiectæ, & minus vniuersales non sunt analo- gæ, cum vbique entis analogiam inculcet, secus vero aliorum conceptuum haud ita latè manantium. Sed animal habet priorem analogiam enti à nobis attributam, ut constat luce clarius, & posteriorem etiam cum inæqualiter participetur ab homine & bellua. Quod si vltimus dependentia in partici- panda ratione analogia qua proculdubio caret homo, & bellua desideretur, ut animal sit poste- riori modo analogum, saltem qualitas erit inter analogia respectu intellectus, & intellectiois, lu- cis, & caloris, numeranda, cum intellectio dependen- ter ab intellectu, & calor dependenter à luce ratio- nem entis adeoque qualitatis participent. Neutra igitur entis analogia est ex mente Aristotelis, quem tamen nitimur explicare.

34 Respondeo inter Deum, & creaturam est infi- nita distantia ac diuersitas, & inter substantiam, & accidens ex genere suo quanta esse nequit alia maior in creatis: proinde in ratione entis summam, ac specialem analogiam summa, ac speciali ea diuer- sitate nixam veluti tibicinaram habebunt, de qua Aristoteles exponendus est iuxta primum sensum. Quod ad secundum attinet, eodem modo occurren- dum est obiectioni, si meram speciem inæqualitatem, cum summa sit: sin autem dependentiam acciden- tis à substantia, & creaturæ à Deo in participanda ratione entis, facile dici potest, ad posteriorem ana- logiam earum, quæ sunt superius explicatæ requiri, ut dependentia sit eorum conceptuum, qui im- mediatè contrahunt rationem analogam, sicut etiam in analogis propriis, & secundum nomen, eius- modi dependentia visitur inter ea, quibus imme- diatè nomen accommodatur: quocirca, cum quali- tas ea cum dependentia immediatè ad intellectum, & intellectioem, lucem & calorem non descendat, sed ad qualitatem materialem, & immaterialem, in quibus ea neutriquam dependentia resplendet mirum non est, si qualitas, & similes rationes, vniuocæ communiter habitæ analogiam hanc entis propriam sibi non vendicent.

35 Tertiò alij existimant, ens interdum significare id, quod habet esse infinitum, & incommutabile: quæ significatio Philosophis, præsertim Platoni, & Aristote- li valde recepta est, Patribus autem sanctis adhuc receptior, ex quibus vnus sufficiat Augustin. 7. conf. c. 11 *influxi cetera infra te, & vidi nec omnino esse, nec omnino non esse: esse quidem, quia absolute sunt, non esse autem, quia id quod est non sunt, id enim verè est quod incommutabiliter manet: & quod caput est Pa- tribus ea in re scripturæ consonant: tritum illud Exo- di cap. 3. ego sum qui sum: quasi à Deo aliud omne asseratur eo loci non esse, nec rationem entis obrine- re. Deinde iidem authores putant, ens haud rarò si- gnificare solum id, quod est per se: quæ entis ac- ceptio Aristoteli frequentissima est, præsertim verò*

Aa 2 cam

eam vſurpat. 7. metaph. text. 15. expreſſe ibi docens, ens de ſubſtantia dici ſimpliciter, & de accidenti ſecundum quid, & accidens non eſſe ens, ſed entis ens; videlicet quia non eſt ens per ſe, quod tamen hac voce ens ſignificatur multoties: atque hac ratione, qui duas arbores cernit, duo ſolum entia viſiſſe cenſetur, licet plura accidentia conſpiciat. Porro in utroque ſenſu vero verius eſt, ens eſſe analogum reſpectu Dei, & creaturæ, ſubſtantia & accidentis: ſiquidem ideo homo eſt ratio analogæ comparatione veri, & effigiat, quia alter ſimpliciter, alter vero ſecundum quid eſt homo: ſed Deus eſt ſimpliciter ens in primo ſenſu, & creatura tantum ſecundum quid, eo quod referatur ad Deum velut finem, aut cauſam efficientem, aut exemplar: in ſecundo vero ſenſu ſubſtantia eſt ſimpliciter ens, & accidens ſecundum quid propterea quod ſubſtantia inexistat: ens igitur eſt analogum in vno, & altero ſenſu nimirum in priori comparatione Dei, & creaturarum, & in poſteriori, intuitu ſubſtantia & accidentis.

36 Quarto dici poteſt; analogiam, aliam eſſe formalem, aliam eminentialem: analogia formalis eſt, qua vnum analogatum formaliter in ſe claudit totam perfectionem & eſſentiam rationis analogæ, ſecus vero aliud: qua ratione homo dicitur analogice de vero, & picto, quia verus homo totam perfectionem & eſſentiam naturæ humana formaliter in ſe cohibet, quam tamen pictus formaliter non continet, ſed imitatur tantum; & ſimiliter ſanum analogice dici conſuevit de animali ſano, medico ſano, & colore ſano, quia animal in quo recipitur ſanitas continet eam formaliter, cum tamen medicus eminenter, & color intentionaliter, ſive inſtar ſigniduntaxat illam cohibeant: Analogia eminentialis eſt, qua vnum analogatum comprehendit in ſe, partim formaliter, partim eminenter totam perfectionem, & eſſentiam rationis analogæ, non vero aliud: Cum ergo Deus totam perfectionem, & eſſentiam entis, quam late funditur, partim formaliter, partim eminenter, ſeu virtualiter in ſe habeat, ſecus vero creaturæ, ſane ratio entis eminenter analogæ erit reſpectu Dei, & creaturarum contemplatione ſubſtantia, & accidentis, in quibus locum habet diſcurſus factus. Et quidem, & analogia eminentialis in animal, viuens, qualitatem, & alia eiufmodi genera minime conuenire poteſt, vt inſpicienti clarebit.

37 Quinto dici poteſt; analogiam, aliam eſſe mediatam, aliam immediatam, quatum altera in ratione nomine proximi ſubiecta, altera vero in ratione remote ei accommodata elucet: ſicut igitur homo analogice analogia quidem immediata dicitur de vero & picto, eo quod conceptus huic voci, *homo*, immediate reſpondens ſit partim idem, partim diuerſus, videlicet quia conceptus hominis picti etiam hominis veri conceptus eſt, cum tamen conceptus hominis veri eius ſolius conceptus ſit vt in Dial. manet explanatum; ita ſimiliter ens de Deo, & creaturis ſubſtantia & accidenti dicitur analogia quidem mediata propterea quod conceptus ſubſtantia & accidentis, Dei & creaturarum huic voci, *ens*, mediate, nec niſi aliis immediate reſpondens, partim idem ſit, partimque diuerſus. Etenim, qui quidditatiue accidens, & creaturas quatenus his exprimentur vocibus cognoscit, non ſolum ea, verum etiam Deum, & ſubſtantiam vna concipit: nam accidens quatenus tale, eſt ens in alio, & creatura prout talis, ens ab alio, ac proinde Deum & ſubſtantiam connotant. Cæterum eſt contrario, qui

ſubſtantiam, & Deum quidditatiue, ac per ſpecies proprias concipit, non eo ipſo creaturas, & accidentia cognoscit: namque Deus, & ſubſtantia, quatenus his notantur vocabulis, accidentia, & creaturas minime connotant. Quare conceptus quidditatiue ſubſtantia, & accidentis Dei, & creaturarum erit, partim idem, partim diuerſus. Quod ſi de eorum abſtractiuo conceptu ſermo ſit, eſt conuerſo res explicari debet: cum enim Deum in hac vita abſtractiue non cognoscamus, niſi per imagines, ſpeciesque creaturarum, nequaquam poſſumus cognoscere Deum abſtractiue, quin ſimul creaturæ nobis innoreſcant, earumque turba & conſuſio intellectui noſtro obuerſetur, creaturas vero incognito Deo nouiſſe poſſumus ſiquidem eas nouimus per ſpecies proprias, & immediatas, & non per ſpecies Creatoris. Idem de ſubſtantia, & accidenti ſeruata proportionem dicendum, propterea quod ſubſtantias per ſpecies, & imagines accidentium, & non eſt contrario complectamur animo & cogitatione.

38 Sexto tandem dici poteſt; ens etiam prout ſignificat id, quod exiſtere poteſt, ſive exiſtentia ſit per ſe, ſive in alio, ſive infinita, & incommutabilis, ſeu finita & ea in quam mutatio & viciffitudinis obumbratio cadit, ens inquam hoc ſenſu analogum eſſe reſpectu Dei, & creaturæ, idque proprie & non tranſlatiue: nimirum ſi nomine creaturæ comprehendantur plures relationes, quæ iuxta non paucos nullam perfectionem ac proinde, nec entitatem inuoluunt: aut ſaltem entia per accidens quæ quidem entia, non autem ens ſimpliciter dici poſſunt, eo quod vnum cum ente recurat, atque ens per accidens dici nequeat ſimpliciter vnum. Suppoſitis ergo his principiis, quorum alterum veriſimile, & alterum omnino verum arbitror, ens ſive aptum eſſe futurum, erit ſtriſte analogum reſpectu Dei, & creaturæ: ille namque, eſt ſimpliciter ens, hæc vero in tota ſua latitudine ſumpta, & prout relationes quaſdam perfectionis expertes, atque entia per accidens ambitione ſua complectens, dumtaxat entis ſecundum quid rationem vendicat: quo ex titulo homo contemplatione veri, & picti eſt ſtriſte analogus. Par conditio eſt ſubſtantia, & accidentis: prior enim eſt ſimpliciter ens ſecus vero poſterior illud, aut quia relationes aliquas perfectionis & identitatis immunes claudit, aut quia ens per accidens, quod non eſt ſimpliciter ens defectu vnitatis nuncupatur multoties accidens, ſicut ſubſtantia ens per ſe.

39 Atque ex his conſtat primo, ens alio, alioque ſenſu vſurpatum, aut certe ita vſurpatis eius inferioribus ſi non omnibus, ſaltem, quibusdam videlicet creatura, & accidentibus eſſe ſimul vniuocum, & analogum, idque vniuocatione, & analogia quæ ſint proprietates, & ſecundum eandem rationem oppoſita: hoc autem nihil habet incommodi, quemadmodum, neque quod canis verè ſit æquiuocum, & ſimul vniuocum prout eius ſignificatio in arctum contrahitur, aut extenditur aliquantum: conſtat ſecundo, retenta eadem ſignificatione, tum entis, tum eius inferiorum illud eſſe ſimul vniuocum, & analogum, cæterum non eadem ratione, aut proprietate, cum ſit vniuocum ſecundum rationem, & analogum ſecundum eſſe & quod non multum ab eſt vniuocum ſecundum nomē, & analogum ſecundum rem: rem item vniuocum formaliter, & eminentialiter analogum: necnon vniuocum immediate, & mediate analogum. Conſtat tertio, quanquam

quamquam sex dicendi modi huius discursu capitis adducti viles sint ad explicandos, tum Aristotelem, tum etiam SS. Patres; ceterum horum auctoritati multo multo melius satisfieri per tertium philosophandi modum superius propositum. Constat quare Lichetum, Fauentinum, Fuente, Smilingum, initio capitis primi citatos, aliosque quosdam Scotistas existimantes, ens esse simul vniuocum, & analogum, falli admodum, si de ente eodem intellectu usurparo, de quoque vniuocatione, & analogia oppositis inuicem, vtraque scilicet proprie secundum rationem & nomen, ac formali, & immedita sermonem habeant: sin autem secus, disputent, ita nimirum, sicut à nobis hactenus verissimam eorum esse sententiam.

C A P V T VII.

Quatenus ens, ut sic, cum ente reali, & rationis comparari debeat?

40 **E**NS reale, & rationis haud raro usurpantur ita, ut prius perinde sit, atque, quod potest esse ex parte rei, circumscripta quavis operatione intellectus, ut homo, aut equus, posterius vero, quod non existit, nec potest, nisi per operationem aliquam intellectus, ut genus, species, cognitumve quocumque modo: quamobrem alterum recidit in ens primo intentionale, siue terminum primæ intentionis, alterum vero in ens secundo intentionale, siue terminum secundæ intentionis. Abstrahi ergo ab ente reali, & rationis ita usurpatis vnum conceptum entis eumque esse vniuocum, & non analogum censent Bonetus 1. mer, & quidam alij Scotistæ, quibus subscribunt plures, ac debent omnes, qui vniuocationem, & abstractionem entis comparati ad substantiam, & accidentis, Creatorem, & creaturas tuerentur.

41 **E**tenim ens rationis explicatum vti nuper, est proprie, ac simpliciter ens reale, cui pro materiali inuoluat obiectum vera multoties entitate, ac realitate prædictum, & pro formali verum, ac reale intellectus actum: dicitur vero ens rationis, non quod sit realitatis expers, sed quia intellectus per quam sit, est ratio: Quidni ergo ab eo, & ente reali physico, & ab intellectus operatione minime pendulo possit abstrahi vna, & vniuoca ratio entis, non aliter atque à substantia, & accidenti, Deo, & creaturis, quandoquidem horum inferiorum nequaquam est maior in ente cõuenientia, quam illorum? Nil autem refert, si intes ex aduerso, ens rationis prædicto sensu acceptum esse ens per accidens, quippe quod coalescit ex re cognita, & cognitione ei extrinseca, ac proinde non esse simpliciter ens, defectu nimirum vnitatis: nam etiam ens reale physicum, & primo intentionale interdum est ens per accidens, veluti domus, ciuitas, exercitus: contra vero ens rationis, ac secundo intentionale nonnunquam est ens per se, & non per accidens, ut quando cognitio supra se reflectit, ac per semetipsam est cognita: ambo igitur entia fundamentum erunt vniuocationis, & abstractionis, si cum proportionem sumantur, secus vero, si ea sint destituta: quocirca ens per se, id est non per accidens, vniuocum est respectu entis realis per se & entis rationis per se quodammodo: item è conuerso ens per accidens est vniuocum contemplatione entis realis, & rationis, si sit vtrumque per accidens.

42 **S**ecundo sumi possunt ens reale, & rationis proprie, ac prout hoc est quid fictitium, & repugnans, quod à quibusdam Scoti sectatoribus dici consuevit purum nihil, aut si maius quatenus est priuatio, negatio, illud vero quidquid existere potest, siue per intellectum, siue independentem ab omni eius operatio-

ne; contra vero ens ut sic, cuius ad vtrumque fieri solet comparatio usurpari potest improprie, ac prout est id, quod potest esse in intellectu, ab eoque cognosci, hac enim significatione entis verum illud est, quod communiter circumfertur, ens esse obiectum adæquatum intellectus: atque hac etiam ratione B. Thomas opusc. 42. cap. 1. & apud eum Aristoteles docent, ens quodammodo dici omne illud de quo possunt propositiones affirmari, etiam si essentiam strictè non habeat.

43 **P**orro ens in comuni sic sumptum esse vniuocum respectu entis realis, & rationis, arborror. Id enim nil aliud est, quam à cognoscibili reali & rationis, siue fictitio abstrahi posse vnam quandam rationem vniuocam cognoscibilis; quod innumeris recentioribus placet, & à nobis est fusè probatum in Dialect. l. 9. tract. r. cap. 7. & sequenti. Ceterum, ut prædixi, ens ea significatione imbutum est improprie ens, alioqui chimæra, & hircoceruus erit proprie ens, cum summa proprietate, & distinctione possit cognosci, & non minus quam ens reale denominationem cognoscibilis induat: quamuis ergo ratio cognoscibilis in comuni vniuoca sit, haud propterea talis vniuocatio in ens nisi improprie sumptum redundabit.

44 **T**ertio retineri potest propria significatio tum entis, ut sic, tum etiam realis, & rationis. Ea que retenta duo nobis reuocanda sunt in dubium. Primum eorum est, an possit abstrahi vna ratio obiectiua entis à reali, & solius rationis? secundum est an eiusmodi ratio sit vniuoca, vel potius analogæ? Quæ duo multo magis sunt difficilia, quam quæ sunt paulo superius constituta.

45 **Q**uod ad primum attinet, vnam rationem obiectiuam entis à reali & rationis abstrahi non posse, sed vtriusque vnitatem esse quoad solam vocem, sentiunt omnes negantes abstractionem entis à substantia, & accidenti, Creatore, & creaturis, qui, quot, quantique authores sint habes supra lib. 2. tract. 3. cap. 2. & huius libri, ac tractatus cap. 4. circa eius medium: Rursus id ipsum supponunt P. Suarez disp. 1. metaph. sect. 1. num. 5. prope initium Ioan. à S. Thom. in prædicam. quæst. 13. art. 5. concl. 1. & reliqui authores, alioqui tuentes abstractionem entis à substantia, & accidenti, Deoque, & creatoris. Atque, ut breui dicam, nemo quem hactenus viderim, non est in ea sententia. Ceterum, si non quod communiter sentitur, sed quod sentiendum est, amplectamur, eiusmodi ratio communis, & abstracta probabilior apparet.

46 **E**tenim ab ente reali & rationis aliqua ratio communis vtrique intrinseca, & essentialis abstrahi potest: sed talis ratio est entis: vna igitur ratio entis abstrahi ab vtroque sustinet. Maior probatur: non magis distant inter se ens reale & rationis, quam ens finitum & infinitum, siquidem inter hæc est distantia simpliciter infinita, quæ proinde aliam maiorem non agnoscit: at ens finitum, & infinitum ita distant inuicem, ut nihilominus coniungi, & conuenire possint in vno conceptu obiectiuo intrinseco ab eis per intellectum abstracto, & per ea secundum rem contracto: igitur etiam ens reale, & rationis, non obstante quantauis earum distantia, & diuersitate coniungi poterunt, & conuenire in vno conceptu obiectiuo intrinseco, quem per intellectum abstrahi à se sinant, quantumlibet eum reipsa contrahant. Confirmatur, & declaratur: quo magis inferiora inter se distant, eo minus abstractionem tolerant, ut cernere datur in Petro & Bucephalo, à quibus noster intellectus minus abstrahere potest, quam à Bucephalo & Pegaso, eo quod illi, quam hi maiori interstitio diffident; minus inquam, cum à Petro & Bucephalo tantum abstrahat rationes omnes

vniuersales ab ente vsque ad animal inclusiuę, vt aiunt, à Pegaso vero, & Bucephalo, præterea rationem specifięm aquī. Sed summa, & simpliciter infinita distantia, qualis est inter Deum, & creaturam, abstractionem aliquam vnius rationis communis intrinsecę & essentialis compatitur nihilominus: ergo etiam tolerabit aliquam ea distantia, quę est inter ens reale & rationis, etiam si sit immensa.

47 Assumptio argumenti nostri iam suadetur hunc in modum: si ratio communis intrinseca, & essentialis abstracta ac ente reali, & ficticio non esset entis, certe esset ratio obiecti, quo tenus ens reale, & rationis proprię, & simpliciter conuenit videntur: aut cedo aliam vtrique communem, quę vel leuissime talis appareat: at non ratio obiecti, vel certe non illa sola: ergo ratio entis. Non ratio obiecti, si nimirum hoc sumatur prout est idem, atque cognitum extrinsece; ita enim quomodo potest esse ratio intrinseca, & essentialis vtrique enti communis, & ab vtroque abstracta? vel si vsurpetur, prout est perinde, atque cognoscibile per denominationem extrinsecam à cognitione in potentia: eius namque ita sumpti, atque cogniti par est conditio, quantum ad præsens attinet. Rursus quamuis ratio obiecti in actu primo, siue cognoscibilis, sit intrinseca, & essentialis pro eo, ac multi putant, & quidem verissime, si tamen ea adhibeatur moderatio, quę à nobis adhibita est suprà lib. 2. huius operis tract. 6. at quod illa sola ratio communis intrinseca admittenda sit respectu entis realis, & rationis, sed vltius ratio entis, luculenter constat: tum quia, esto, cognoscibilitas intrinseca, & essentialis sit termino supra quem cadit, eo tamen est ratione nostra posterior, vtpote eius passio, ac proprietas, est enim ipsa veritas transcendentalis, quam inter entis attributa nemo non numerat: pro priori ergo signo naturę, quo ens reale, & rationis cognoscibilitatem suam anteverunt non habent maiorem distantiam, quam Deus, & creatura, imo quodam intellectu statim insinuando minorem, ac proinde pro illo priori rationem aliquam communem intrinsecam ab iis abstrahibilem fundant, haud secus, ac Deus, & creatura talis abstractionis est fundamentum: sed ea ratio communis nequit esse ratio cognoscibilis: ergo entis: maior simul propoſita est, atque probata: quare minor probatur: pro illo priori nondum intelligitur cognoscibilitas entis realis & cognoscibilitas entis rationis, ergo cognoscibilitatem ab vtraque abstrahibilem, & vtrique communem minime poterunt fundare. Tum etiam, quia summa, & infinita distantia Dei à creatura non ob est, quo minus ab vtroque abstrahi possit ratio communis intrinseca distincta à ratione obiecti, videlicet entis realis: similiter ergo, non obstante quocumque intervallo entis realis, & rationis, ab vtroque abstrahi poterit alia ratio communis intrinseca distincta à ratione obiecti, seu cognoscibilis nimirum entis vtroque superioris. Tum denique quia in ratione illa cognoscibilis imbitur formalissime ens, sicut & in quauis alia ratione etiam differentiali nota nobis, ac nominata, vt ostensum est tract. præced. imbitur inquam, quamuis non è conuerso. Fieri ergo nequit, vt abstrahatur ab ente reali & rationis cognoscibile, siue obiectum in communi, quin vna eademque opera abstrahatur ab eis ratio entis: quemadmodum non est abstrahere rationem hominis, eiusque quidditatem à Petro, & Paulo absque eo quod abstrahatur ab illis ratio animalis in homine intrinsece clusa.

48 Huic argumento respondebit fortasse non nemo, aliud esse inferiora distare, aliud differre, cum distantia

sit inæqualitas perfectionis, differentia vero sit dissimilitudo: dissimilitudo autem & inæqualitas, sicut & similitudo atque æqualitas, iuxta Aristotelem, vbiuis sunt diuersę relationes: quare inter Deum, & creaturam concedenda est infinita distantia, atque adeo inæqualitas infinita, non tamen diuersitas, ac dissimilitudo summa, nullisque circumscripta finibus: cæterum inter ens reale, & rationis distantia, & inæqualitas non est infinita simpliciter, cum ens reale dumtaxat secundum modum suę perfectionis, quę quidem finita est, ens rationis superet; at erit inter ea infinita dissimilitudo, ac summa diuersitas. Quando ergo sola diuersitas, ac dissimilitudo, præiudicat abstractioni, sicut sola similitudo eam iuuat, fundatque, nil mirum, si ab ente reali, & rationis nullus abstrahi possit conceptus saltem intrinsecus, & essentialis, possit vero à Deo & creatura, quorum maior est cognatio, minorque dissimilitudo.

49 Contra tamen primo: quia tametsi relationes illę dissimilitudinis & inæqualitatis sint diuersę, atque altera fundata sit in qualitate, & altera in quantitate, vt sæpiſſime docet philosophus, & cum eo cæteri scholastici: quamuis item dissimilitudo sit separabilis ab inæqualitate, vt claret in personis diuinis, quę sine inæqualitate sunt dissimiles: cæterum è diuerso inæqualitas numquam non est cõiuncta cum dissimilitudine, vt est luce clarius, vt que multis probandum est infrà lib. 9. tr. 1. cap. 4. & quod consequens est quo est maior aliquorum inæqualitas, hoc maior est eatenus illorum dissimilitudo, alioqui proclue erit tueri creaturam esti inæqualem Deo, non tamen dissimilem, vel certe vtriusque dissimilitudinem cum vtrius inæqualitate neutiquam crescere. Quibus constitutis sic arguo: quo maior est inæqualitas, eo est maior dissimilitudo: quoad ea saltem in quibus relatio prior elucet: at Dei, creaturę est summa inæqualitas; ergo & dissimilitudo: nihilominus ab eis abstrahi potest aliqua ratio communis vtrique intrinseca, & essentialis: quidni ergo fieri possit similis abstractio ab ente reali & rationis, quantumuis summe dissimilibus.

50 Contra secundo: quod aiunt Damascenus Boëtius, Dionysius, Elias Cretensis supra ad initium septimi capitis citati, alique PP. communiter, Deum non esse more vllius creaturę ens, substantiam, animum mentem, visionem, opinionem, &c. sed supra hac omnia esse; an non perspicue ostendit, eos in hoc esse sententia vt existiment Deum esse summe dissimilem cuius creaturę? quando ergo tanta dissimilitudo vtriusque non prohibet abstractionem rationis intrinsecę, quę sit vtrique communis: cur veter summa, & infinita, dissimilitudo entis realis ac rationis vnā quandam rationem communem, eamque intrinsecam, & essentialē ab vtroque abstrahi.

51 Contra tertio quia esto ens reale, & rationis sint summe dissimilia, atque in eo dissideant à Deo, & creatura, quid inde? Sane, vt in loco expendimus, summa simplicitas Dei non prohibet eum componi per intellectum, nec summa vnitas ratione diuidi: similiter ergo summa dissimilitudo entis realis, & rationis, haud tollit quo minus per intellectum assimilari, atque in vna quadam ratione obiectiua vtrique intrinseca, & essentiali, & ab vtraque abstrahibili conuenire possint, ac debeant. Contra quarto: quia quod in responsione illa assumitur ens reale, & rationis finitam tantum habere inæqualitatem, Deum vero infinitam, falsum est quoad primam partem: haud enim est spectandum ad inæqualitatem, quantum sit perfectionis in vno extremo, sed etiam haud

raro

raro, quantum imperfectionis in alio: cum ergo ens rationis sit infinitum, ac summè imperfectum, quippe omni perfectione destitutum, cum tamen ens reale sit aliqua präditum, non mirum est, si utriusque inæqualitas sit infinita, haud secus, ac inæqualitas Dei summè & infinitè perfecti, & creaturæ finitæ perfectionis diuerso ex titulo est summa, & illimitata. Rursus: tametsi assumptum illud ultro concedamus esse verum quoad eius vtramque partem, quæ tamen exinde colligitur, è conuerso dissimilitudinem solius entis realis, & rationis esse infinitam, ac Dei, & creaturæ finitæ: aut cur dissimilitudo, & inæqualitas ita contraponi debeant, ut vbi altera sit finita, altera eo ipso sit infinita?

52 Argumentor secundò: possum cognoscere certo illud, quod video esse animal, & nescire, an sit animal verum vel pictum: aut, quia distantia verat, ne discernere possim, an artis vel naturæ opus sit: aut, quia nec artem naturæ parem sustinet, nec Dædala ars naturam superiorem patitur, sed accipiti discrimine contuentis iudicium in suspensio relinquitur. Quinetiam hoc artis, & naturæ certamen sensus non tantum dubios trahit, sed quod plus est eos aliquando fallit. Quo alludit Martialis lib. 3.

Artis Phidiacæ toreuma clarum

Pisces aspicias, adde aquam, natantur

Et infra eodem libro

Inferta, phiale Mentoris manu ducta

Lacerta vivit, & timetur argentum.

Huc etiam spectat, quod digna hinc monumenta passim referunt de certamine Parthasij, & Zeussidis: Hic in medium produxit vvas eo ingenio, & artificio depictas, ut ad eas undique conuolarent aues: ille contra linteum veritate adeo simulata, ut Zeussis alitum successu tumidus instanter peteret, amoto linteo, monstrari sibi picturam, ac deprehensio errore fateretur, se superatum, quoniam ipse decepsisset aues, Parthasius verò se artificem. Idem Zeussis postea depinxit puerum vvas portantem ad quas cum undique confluerent aues, succensuit operi suo, quod vvas magis ad vinum expressisset quam puerum: nam si puerum omnibus numeris absoluisset, eius timor aues arcere debuerat. Quæ, cum ita sint, conceptus animalis necessario distinguitur à conceptu animalis veri, & conceptu animalis picti: quæ enim fieri potest, ut intellectus circa hos sit dubius, & circa illum certus, aut circa hos fallatur, & non circa illum, sine illius ab his distinctione quadam rationis: præcindi ergo potest prior ille conceptus ab utroque posteriori, non secus, atque alia quævis ratione distincta eo ipso sunt præcisioni obnoxia: similiter ergo conceptus entis præcindi poterit, abstrahique à vero, & apparenti: quo argumento superius cum Auicenna, & Scoto præcindi posse probauimus ens à substantia, & accidenti, Deo & creaturis.

53 Argumentor tertio. Si qua ratione ens à reali & fictitio abstrahi non posset, maxime quia ens reale est simpliciter ens, & ens rationis est secundum quid & improprie tantum ens: at hæc ratio nulla est: ergo, &c. Minor probatur: tum, quia inæqualis participatio animalis, illud abstrahi non vetat à differentiis, quæ illud inæqualiter contrahunt: ergo etiam illa inæqualis participatio entis, videlicet simpliciter, & secundum quid illud abstrahi non vetabit: quod enim hæc inæqualis participatio entis maior sit ea, qua inferiora animalis illud participant, obstat non posset, alioqui supremas rationes entis realis, substantiæ, & accidentis abstrahi non posset, eadem libertate dici posset, solasque rationes non ita communes, nec ita inæqualiter participatas abstrahi posse, quod tamen

ridiculum prorsus. Tum; quia, quod ens sit simpliciter in ente reali, & secundum quid in ente rationis, potius conducit ad abstractionem illius, quam si in utroque simpliciter: at si esset in utroque simpliciter, ab iis abstrahi posset iuxta aduersarios: ergo à fortiori abstrahi poterit, tametsi in vno simpliciter, & in alio secundum quid reperiat. Maior probatur: quoniam ratio communis, eo magis abstrahi potest ab inferioribus, quo minus in eis manet, hæretque, ut exemplo abstractionis, seu separationis physicae constat, facilius enim lapidem humo tollas, quam parietem infixum auellas: sed ens in ente reali, & rationis, partim simpliciter, partim secundum quid illud participantibus minus remanet, quam si vtrumque illud simpliciter participaret, ac proinde inæqualis ea participatio abstractionem entis potius iuuat, quam impedit. Tum demum ad homines contra non paucos Thomistas, iuxta quos ex vna parte substantia est simpliciter ens, & accidens tantum secundum quid, & alia parte vna ratio entis ab utroque abstrahi potest, ut cernere est apud Sotum de prædicam. cap. 4. quæst. 1. conclus. 3. vbi hæc habet; *Vnus conceptus formalis per seipsum significat vnam rationem obiectiuam, quæ non eadem simpliciter, sed proportionaliter est in suis significatis, principaliter in vno, & per attributionem in aliis*; quibus verbis de ente comparatione substantiæ, & accidentis sermonem instituit: similiter ergo, quamuis ens reale sit simpliciter ens, & ens rationis secundum quid, abstrahi nihilominus poterit vnus conceptus entis ab utroque.

Argumentor quarto: ens reale, & rationis similitudinem aliquam habent: at similitudo inferiorum solet esse fundamentum abstractionis: ergo aliqua ratio entis ab eo, quod est reale, & ab eo quod rationis, ratione nostra poterit abstrahi. Minor est indubitata. Maior suadetur: tum quia ens rationis, v.g. hircoceruus habet extrema realia, sicut ens verum, atque in sola vnione, & complexione extremorum, quæ in vno possibilis, & in alio impossibilis est differunt: ambo ergo sunt similia quadantenus: tum, quia ens reale ducit in cognitionem entis rationis, & hoc cognoscitur per species illius, quod sine utriusque similitudine, & cognatione quadam vñuenire nequit, ut patet in Deo ex creaturis, & per earum species, & imagines cognito.

Argumentor quinto, & præcedens argumentum confirmo: ens reale & rationis, saltem analogicè, conueniunt, similiaque sunt in ratione entis, cum omnis ratio analogica ita sit diuersa, ut partim similis, & eadem esse debeat: at ea similitudo analogica sufficit ad abstractionem entis à reali, & rationis: primò, quia ratio sic ab utroque abstracta ad summum est analogica, ut constabit inferius: quemadmodum ergo similitudo vniuoca inferiorum ad abstrahendam ab eis rationem communem vniuocam sufficit, quidni etiam analogica inferiorum similitudo ad abstrahendam ab eis rationem communem analogam satis sit: deinde, quia aduersariorum aliqui in ea sunt opinionione, ut putent, solam similitudinem specificam esse verè, & proprie talem, similitudinem autem genericam, non nisi improprie, ac per translationem eiusmodi dicendam: & tamen à diuersis speciebus improprie, & secundum quid similibus vnum commune genus abstrahi ut abstrahi ergo poterit vnus conceptus entis à reali, & rationis, quamuis tantum analogicè sint similia: aut enim analogica similitudo nihilominus est propria similitudo quoad aliquid, ut longè probabilius, aut si verè similitudinis rationem nequaquam obtrinet, parum id refert in principiis eorum, quibus de loquimur in præfati.

56 Argumentor sexto ad homines : quodis præcindi potest differentia , præcisioni quoque obnoxium est totum ex ea coalescens, ut videtur in homine, & rationali; huius enim ab inferioribus abstractio cum illius est coniuncta : sed perfectas, iuxta quosdam recentiores nobis in hac controuersia aduersarios, præcindi potest à perfectitate vera, & apparenti, reali, ac solius rationis : ergo & substantia, quæ ex ea componitur à reali, & rationis, seu fictitia. Eo autem ipso, quod vna ratio substantiæ abstrahi possit à reali, & chimerica, non erit quapropter dici nequeat idem de ente, tum, quia latius quam substantia patet, ac proinde est abstractioni magis idoneum : tum, quia rationes omnes abstractionem entis à reali, & rationis impugnant, contra abstractionem substantiæ à vera, & commenticia eodem modo, eademque vi procedunt.

57 Tandem arguo, & quantum arbitror, satis efficaciter : non magis diuersificantur ens reale, & rationis, quam identificatur secum ipso, quamque in seipso indiuisus est Deus, cuius identitas, seu indiuisio, aut unitas simpliciter infinita nullam diuersitatem non æquiparat, & plerumque longo superat intervallo : at Deus, non obstante eius unitate, & indiuisione, in diuersos conceptus obiectiuos ratione nostra diuidi potest : ergo è contrario ens reale, & rationis, non obstante quantauis eorum diuersitate, confundi poterunt in vnum, eundemque conceptum obiectiuum entis.

58 Quoad secundum attinet, ens respectu realis, & solius rationis esse analogum, tuncur Pater Suarez tom. 1. metaph. disputatione & sectione & numero superius citatis, Fonseca lib. 4. metaph. cap. 2. quæst. 1. sect. 3. ipso eius initio, Tellez in metaph. disp. 5. 2. ad eius exordium; Masius lib. 1. de transcendentibus cap. 8. ac ne pluribus recensendis immorer, omnes scholastici, vno Arriaga excepto, qui dispp. 1. 1. Logicæ num. 1. quamuis subdubitanter, tradit, illud esse æquiuocum. Probat tamen communis sententia, & singularis nuper memorata refellitur : animal verum, & pictum, siue apparens analogicè conueniunt in ratione animalis, ut cum Aristotele docet omnis philosophorum schola : ergo & ens reale, & ens rationis, quod est ens apparens, ac veluti simulachrum entis, analogicè conuenient in ratione entis utrique communi.

59 Rursus secundò : hoc nomen, *ens*, significat immediatè ens reale, & ens rationis, necnon ens ab utroque abstractum : quare ratio ei respondens erit, partim eadem, partim diuersa, adeoque analoga : eo nimirum, quod ratio communis entis, quæ omnino eadem est, & rationes particulares entis, quæ sunt omnino diuersæ, ei ut dictum est immediatè respondeant : cæterum nomen, *ens*, non significat immediatè substantiam, & accidens, sed conceptum obiectiuum ab utroque præcisum : unde ratio entis à substantia, & accidenti abstracta vniuoca erit, quin propterea talis esse debeat ratio entis præcisa à reali, & solius rationis. Hanc autem esse significationem entis, qualem asseruimus, hunc in modum ostenditur : omnis vox analogica immediatè, & principaliter significat analogatum proprium, & simpliciter sumptum, & inde ad analogatum improprium, & secundum quid immediatè significandum transfertur : quare hæc vox, *ens*, immediatè repræsentat ens reale, & ad ens rationis immediatè repræsentandum vel solo vsu, vel secundaria institutione translata est : ens etiam ab utroque abstractum immediatè significatur, quia nulla alia vox illud immediatè repræsentatur, quia, sicut translata est ad significandum ens

rationis, ita ad ens latius sumptum, & reale, ac rationis superius significandū maiori cum fundamento transferri potuit, ac debuit : quæ ratio non procedit in substantia, & accidenti : cum enim sola substantia non sit simpliciter ens, non est cur ad illam immediatè significandam hoc nomen ens primario institueretur, & non potius ad rationem entis quæ à substantia & accidenti abstrahitur.

Præterea tertio : ens nequit esse vniuocum respectu entis realis & entis commentitii, ac solius rationis, ut auctores, quos videre poterim, omnes tradunt, præsertim vero Soncinas 4. metaph. quæst. 5. & 6. & Herueus quodlib. 3. quæst. 1. art. 1. ad finem, utque inferius constabit solutione argumentorum, quæ fieri possunt in contrarium : deinde ens comparatione realis & rationis fictitiæ nequiquam esse potest æquiuocum, ut ferè omnibus est in explorato, utque inde liquet quod aliqui animal esset æquiuocum intuitu veri & picti, aut motui ac viuens : tantum ergo relinquitur ut ens eorum contemplatione sit analogum.

CAPVT VII.

Difficultates quadam aduersus doctrinam præcedentem solvuntur.

61 Quod dictum est, ens esse vniuocum respectu entis realis, prout alterum horum cum ente primo intentionali, & alterum cum secundo intentionali reuertitur, iis solum argumenti peti potest, quæ sunt à nobis magna ex parte soluta inter propugnandum vniuocationem entis intuitu substantiæ, & accidentis, Dei & creaturarum. Quod rursus constitutum est, ens, prout hoc idem est, atque cognoscibile, vniuocum esse contemplatione entis realis, & rationis, retenta vtriusque stricta significatione, proprioque intellectu, multis quidem est obnoxium argumentis, quæ tamen omnia ex professo soluta sunt in Dial. lib. 9. tract. 1. cap. 8. Quocirca tantum relinquitur, ut obuiam eamus iis difficultatibus, quæ contra abstractionem entis à reali, & rationis, illius horumque proprio sensu seruato atque, ut aiunt, facto, & recto; necnon iis, quæ contra eius analogiam procedunt.

62 Obiicies igitur primò aduersus abstractionem entis à reali, & rationis. Ens reale est simpliciter ens, & ens rationis non est simpliciter ens : hand ergo conueniunt in ratione entis, ac proinde hoc ab eis abstrahi nequit, quando conuenientia, & similitudo est omnis abstractionis radix, atque fundamentum. Secundò nulla fieri potest abstractio hominis à vero, & picto, ut omnibus est in explorato : similiter ergo abstrahi repugnat ens à reali, & solius rationis : hoc enim posterius, non magis est ens, quam hominis pictura, siue effigies homo. Tertio : si qua posset abstrahi ratio entis à reali, & rationis, ea esset vtriusque respectu vniuoca : uti namque cum abstractione entis à substantia, & accidenti, eius contemplatione vtriusque vniuocatio coniuncta est : quidni etiam ex abstractione entis à reali, & rationis eius ad vtrumque vniuocatio indissociabili consequentia sequatur ? At ens nequiquam esse analogum comparatione realis, & commentitij superius est, tum ratione, tum etiam totius ferè scholæ auctoritate probatum.

63 Obiicies quartò : nequit abstrahi ab esse, & non esse vlla ratio entis : at ens reale est esse, & ens rationis seu fictitium non esse : ergo, &c. Assumptio est peripicua;

perspicua: propositio suadet, nam in altero eorum, videlicet non esse, neutiquam est esse, ut luce clarius: quomodo ergo ab eo diuelli, aut abstrahi possit? prius enim oportet quidpiam alicubi esse, ut inde possit amoueri. Deinde, esse vnum, & non esse aliud, est vnum tantum esse, sed ab vno tantum nequit fieri abstractio vllius rationis communis, nedum entis: ergo nec ab esse, & non esse: minor proxima videtur sponte sua manifesta, siquidem omnis ratio communis plura inferiora deponit: nulla igitur ab vno tantum abstrahi sustinet.

64 Obiicies quintò. Ratio illa abstracta ab ente reali, & rationis esset quodammodo ens, & nec esset simpliciter ens, nec secundum quid ens, quod absurdissimum est, cum inter esse simpliciter tale, aut secundum quid tale, & non esse tale non sit dare medium, quod tamen admissa ea abstractione daretur: quod esset quodammodo ens, certo certius est, cum ens rationis, quod magis à reali distat, entis tamen quandam rationem obtineat: quod vero, nec simpliciter, nec secundum quid ens esset, non minus perspicuum videtur, cum ab ente simpliciter, & secundum quid tali, videlicet reali, & rationis præscindat, sicut, ut neutrum formaliter sit, oportet.

65 Obiicies sextò. Ens rationis est simpliciter conceptus ille ab eo, & ente reali abstractus, quemadmodum homo est simpliciter animal, quod ab eo, & bellua præscinditur, ut omnibus est in confesso; sed conceptus ille obiectiuus est ens, & entis vocabulo significatur: ergo ens rationis erit simpliciter ens, quod tamen aperte falsum est, haud secus, atque quod hominis pictura sit simpliciter homo: neganda igitur est abstractio analogi improprij, unde tale sequitur incommodum.

Septimò: Ratio illa entis esset, & non esset simpliciter ens, tum, quia prius inferitur ex iis, quæ paulo supra dicta sunt in argumento sextò, & posterius ex dictis antea in argumento quinto: tum etiam, quia propter abstractionem ab ente simpliciter, siue reali, haud magis esse posset simpliciter ens, quam animal est ratione nostra rationale, à quo abstrahitur: rursus merito abstractionis ab ente secundum quid, siue rationis, neutiquam esset ens secundum quid, ac proinde rationem entis simpliciter obtineret, cum idem sit, ens non esse secundum quid tale, atque esse simpliciter ens.

66 Obiicies octauò: duo individua, verbi gratia, Petrus, & Paulus haud tantum differunt, quantum ens reale, & rationis: ergo, si ab his abstrahi potest ratio entis, & ab illis erit abstrahere rationem communem individui: sed repugnat ratio communis individui ab inferioribus abstracta: foret enim, & non foret individuum: foret quidem aliàs non individui, sed alterius conceptus fieret abstractio: non foret, quia esset potius vniuersale, ut latius expensum est in Dial. lib. 9. tract. 4. ergo etiam repugnare censenda est ratio communis entis à reali, & rationis præcisa: nam ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis, ut est in dialectica arte certum, exploratumque. Tandem: canis sydereus, & canis latrabilis ita instituti sunt, ut ab eis abstrahi nequeat ratio communis canis, utque omnis illorum eareus unitas sit, magis vocis, quam rei significatæ, quod & fatentur omnes, & inde constat, quia alioqui canis haud esset respectu vtriusque quid æquiuocum, sed potius analogum, partimque idem, ac partim diuersum; idem propter abstractionem, ac diuersum propter differentias contrahentes, sicut ad finem cap. præc. in simili visum: at canis sydereus, & terrestris non magis dissident, quam ens reale, & rationis, siue,

quod instar est, quam ens, & non ens, imò multo minus: ergo etiam ab his nulla fieri potest entis abstractio, nullaque eorum erit illo tenus nisi solius vocis cognatio.

67 Ad primum horum respondeo: iuxta non paucos aduersarios homo, & equus conueniunt, & similes sunt in rationali, haud secus, ac in animali, ne, contra quam ipsi sentiunt, similitudo alicui formalitati, & non alteri secum identificatæ competat: quamuis ergo ens reale sit simpliciter ens, & ens rationis non sit simpliciter ens, poterunt nihilominus in ente conuenire. Deinde Petrus est simpliciter indiuiduum, & Paulus est simpliciter indiuiduum: item canis cœlestis est simpliciter canis, canisque latrabilis similiter: & tamen, neque ab illis est abstrahibilis ratio individui, neque ab his ratio canis: ergo è contrario, quanquam ens reale sit simpliciter ens, & ens rationis non sit simpliciter ens, adhuc ab iis abstrahi poterit vnus conceptus entis: consequentia probatur, haud enim antecedens eget probamento: Tam fundat abstractionem vtrumque extremum esse tale simpliciter, quam eam impedit vtrumque non esse absolute tale, sed potius neutrum, vel alterutrum, duntaxat: at illud prius abstractionem non semper fundat: ergo nec hoc posterius eam tollet perpetuo. Tandem respondeo, sufficere qualemquam similitudinem entis realis, & rationis in latissima ratione entis ad eius ab vtroque abstractionem, & vtrius in ea confusionem, sicut qualisqualis diuersitas, seu distinctio, eaque quæ sit solius rationis sufficit ad eiusdem conceptus, licet increati, ac summe simplicis diuisionem quandam, iuxta ea quæ cap. præc. dicebamus; at ens rationis non esse simpliciter ens, aliquam, ut superius visum est, similitudinem eius cum ente reali in ratione entis nequaquam impedit, ac per consequens, nec eius abstractionem.

68 Ad secundum respondeo. Ab homine vero, & picto nullam abstrahi posse rationem communem vniocam hominis, secus autem analogiam quandam: atque in hac nil apparere quod sit absurdum, absonumve, cum tamen illa multis passim scateat incommodis. Ad tertium respondeo; superius ad finem capituli præcedentis luculenter ostensum esse, curram ex abstractione entis à reali, & rationis eius ad vtrumque vniocatio minime sequatur, sicut ex abstractione entis à substantia, & accidenti eius respectu vtriusque inferitur vniocatio. Ad quartum neganda est eius maior. Prior autem eius probatio non vrget: quoniam, etsi ens non sit simpliciter in ente rationis, nihilominus est in eo secundum quid, & metaphoricè: est enim non ens, siue non esse simpliciter, sed tamen esse secundum quid & apparenter: hoc autem tantum abest ab eius abstractione impedienda, ut potius eam promoueat iuxta dicta cap. præc. in tertio argumento nostro. Posterior eiusdem maioris probatio haud magis premit: siquidem esse vnum, & non esse aliud, est vnum tantum esse simpliciter: ceterum est vtrumque esse, partim simpliciter, partim secundum quid: hæc autem inferiorum multiplicitas, qualisqualis, sufficiens est ad abstrahendam ab eis vnā rationem communem, aut analogiam entis, aut vniocum cognoscibilis: præsertim, cum à duplici ente rationis, hircocero, v.g. & hyppocentauro, quorum neutrum habet simpliciter esse, possit nihilominus abstrahi ratio communis vniocæ entis rationis, nec non etiam obiecti reflexe cognoscibilis.

69 Ad quintum respondeo: conceptus ille abstractus est quodammodo ens, & tamē ratione nostra non est simpliciter, nec secundum quid ens; nihilominus realiter, & in sensu identico est simpliciter ens, atque etiam, secundum

secundum quid ens, cum ratio communis à suis inferioribus sit realiter indistincta: non est autem absurdum, quod intellectus inter immediata realiter medium inueniat, & efficiat, sicut inter indistincta realiter distinctionem inuenit, facitque. Ad sextum respondeo: ens rationis est simpliciter conceptus ille abstractus, non tamen est simpliciter ens, quoniam particula ens, nisi diminuat per *secundum quid*, aut quidpiam simile expressum, tacitumve, pro solo ente reali supponit iuxta communem paraxiam, *analogum per se sumptum stat pro famosiore significato*; quale est ens reale, non conceptus ille abstractus, quem minus principaliter indigat: quandoquidem ergo ens rationis non est simpliciter ens reale, mirandum non est, quod hæc prædicatio, ens rationis est simpliciter ens, falsa sit quantumcunque eiusmodi ens rationis sit conceptus ille abstractus, & hic per ens significatur quodammodo.

70 Ad septimum respondeo negando, quod infertur incommodum. Prima ratio contraria iam soluta est inter diluendum sextum, & quintum argumentum. Secunda ratio contraria facile etiam dilui potest ex dictis: nam ratio illa entis abstracta à reali, & rationis non est simpliciter ens ratione nostra, quæ est eius ab eiusmodi ente abstractio: quamuis autem sit abstracta ab ente secundum quid & ab eo virtualiter distincta, nequaquam sequitur inde, quod sit ens simpliciter, sed potius neutrum: sicut, esto, animal ut sic non sit rationale ratione nostra, non propterea sequitur esse ratione nostra irrationale, sed, nec vnum, nec alterum: secus accidit, quando in sensu reali, & identico sermo; quidquid enim non est realiter ens secundum quid, est ens simpliciter, & quodcunque animal non est realiter irrationale, eo ipso est rationale reuera.

71 Ad octauum respondeo; idcirco duo indiuidua haud esse fundamentum abstractionis vnius rationis communis indiuidui, quoniam in ea visitur contradictio in argumento obiecta: at, quamuis ens reale, & rationis longe plus dissimilia sint, quam duo indiuidua, nulla tamen in abstractione entis ab utroque terminorum repugnantia cernitur, nullum ex ea sequitur incommodum. Rursus falsum est duo indiuidua, quatenus talia, plus habere dissimilitudinis, quam ens reale, & rationis, quandoquidem ea, quatenus talia, nullo modo dissimilia sunt, sed distincta tantum: indiuiduatio namque est ratio distinguendi numerice, non autem dissimilandi. Præterea, quid refert à pluribus indiuiduis, v. g. Petro & Paulo minus inter se dissimilibus non abstrahi rationem communem indiuidui, cum tamen reali, & rationis, quorum est dissimilitudo maior, abstrahi possit ratio communis entis? siquidem ab illis sit abstractio hominis, animalis, viuentis, corporis, substantiæ, entis realis, & eius, quod reale, & fictitium superat, cum tamen ab his tot rationum abstractio fieri nequeat: neque amplius, quam hoc videtur sequi ex minori dissimilitudine plurium indiuiduorum, quam entis realis, & rationis. Tandem, indiuidua, quamuis eiusdem speciei, nec tam diuersa, ac ens reale, & rationis. haud sunt similia in ratione obiectiua indiuidui, sed in sola duntaxat eius voce propter argumenta inferius expensa in Dialect. libro 9. tractatu 4. at ens reale, & rationis in conceptu obiectiui entis sunt similia, ut constat ex dictis capite præced. magis ergo est, ut ab his abstrahi possit ratio entis, quam ab illis ratio indiuidui.

72 Ad postremum respondeo similiter; conuenientiam animalis latrabilis, & syderis, quo
Tota sitis tellus, præripiturque seges,

Non esse in conceptu obiectiui canis, sed magis Ouid. in sola voce; alioqui canis esset, non quidpiam æquiuocum, sed analogum, & partim idem, partim diuersum: idem propter rationem obiectiuam canis ab utroque abstractam, & eam, in qua ambo conueniunt: diuersum propter differentias contrahentes nomine canis significatas. Cæterum, ut dictum est sæpè sæpius, ens reale, & rationis conueniunt in obiectiui conceptu entis eoque tenus sunt similia: quod autem hinc sequitur, ens esse analogum respectu utriusque, tantum abest ab omni absurditatis specie, ut potius sit secunda nostra, ac verioris sententiæ pars.

73 Contra quam obiciis primò: ratio entis abstracta ab ente reali, & rationis præscindit ab utriusque differentis: at omnis diuersitas proficiscitur à differentiis: ergo illa ratio entis ab omni diuersitate præscindit, ac proinde omnino vna, & eadem est, licet ad vniuocationem oportet. Obiciis secundo, & præcedens argumentum amplius corroborabis: nulla ratio analogæ potest abstrahi à suis inferioribus: ita præter alios innumeros auctores Fonseca lib. 5. metaphys. cap. 8. quæst. 4. sectione 4. *In hoc differunt analogæ ab vniuocis, quod nihil in eis præscindi potest à membris diuidentibus, quod omnibus sit commune: iam enim non essent analogæ, sed vniuocæ? & Conimb. tract. 1. Logica quæst. 2. in Hagen Porphyrjart. 1. Analogum, cum non præscindat à suis inferioribus, non est prius, quam illa.* At ratio entis per nos est abstrahibilis à reali & rationis: ergo non est respectu utriusque analogæ, adeoque vniuocæ. Tertio: non magis distant inuicem ens reale, & rationis, quam Deus, & creatura: horum enim distantia est simpliciter infinita, quæ proinde, nec illorum, nec aliorum quorumuis extremorum excogitari potest alia maior: sed abstrahi potest vniuocæ ratio entis à Deo, & creatura: ergo & ab ente reali, & rationis; fin autem abstrahi nequit ab his, ea plus distabunt, quam ens finitum, & infinitum, cum maior sit distantia, quæ abstractionem vnius rationis vniuocæ prohibet, quam quæ illam permittit. Quarto: præscindi potest vniuocæ ratio obiecti, sine cognoscibilis ab ente reali, & fictitio: sed in eiusmodi ratione præcisa, sicut & in quacunque alia saltem nobis nota, ac nominata includitur formalissimè conceptus aliquis entis: hic ergo abstrahi potest à reali, & rationis.

74 Ad primum horum dicendum est; rationem entis abstractam à reali & commentitio esse omnino vnam: nihilominus ens haud esse vniuocum quia eius vocabulo non correspondet solum ea ratio prius vna, sed etiam non minus immediatè ipsum ens reale, & rationis secundum eorum differentias, & essentialia discrimina: proinde ratio nomini entis accommodata non est omnino eadem, sicut ad vniuocationem oportet, sed partim eadem, partim diuersa, sicut analogia depolcit. Ad secundum dicendum est; ens esse analogum iuxta non paucos aduersarios respectu substantiæ, & accidentis, & tamen ab eis abstrahi: quocirca sententia eorum, qui negant analogiam cum abstracti one coherere, tamen non sit improbabilis, aut inuicibilis, verior tamen est contraria, quæ nobis est optata: nihil ergo verat, ens esse analogum contemplatione realis, & rationis, & nihilominus ab eis præscindi.

75 Ad tertium dicendum est: entis realis, & rationis distantiam haud minorem ea, quæ visitur inter Deum, & creaturam, arguere abstractionem entis non minus ab illis, quam ab his, eoque argumento nos esse superius vfos, non tamen quod eiusmodi ratio abstracta sit ex æquo vniuocæ contemplatione utrorumque extremorum quod enim, & cur respectu illorum

illorum & non horum sit vnioca latè declaratum cap. præced. Ad vltimum dicendum est, abstrahi quidem rationem vniuocam obiecti, siue cognoscibilis ab ente reali, & rationis, in eaque latere, & formaliter includi rationem entis, quin tamen propterea hæc debeat more illius esse vnioca. Nam à Petro, & Paulo,

v.g. abstrahitur ratio specifica hominis, in qua clauditur intimè ratio animalis, quæ tamen non est specifica, sed generica. Item à substantia corporea, & incorporea præscinditur ratio generica substantiæ, in qua imbibitur ens, quod tamen haud esse genus est probabile multorum opinio. Similiter ergo in præfenti, &c.

LIBER SEXTVS.

De essentia, & conditionibus entis incorporei negatiuè sumpti, siue entis spiritualis.

TRACTATVS I.

De essentia entis spiritualis.

CAPVT I.

Nostra sententia proponitur.



ANTEQUAM aliorum sententias de essentia entis spiritualis referam, aut reiciam; prius quid ipse sentiam, in medium profero, ac triplici assertione statuo. Assero igitur primo, rem aliquam esse propriè, ac rigorosè spiritualement esse, eam incorpoream esse, Hæc assertio me iudice nemini non placitura est, eamque sacris Scripturis conformem esse docet Augustinus tom. 2. epist. 174. ibi: *Omnis incorporea natura spiritus in Scripturis appellatur: unde non tantum Patri, & Filio, ac Spiritui sancto, sed omni rationali creatura, & anime hoc vocabulum congruit.* Assero secundo, rem esse incorpoream, triplicem negationem importat: nempe rem illam non esse corpus, neque dependere in genere causæ materialis à corpore: ac demum non habere conditionem aliquam propriam corporis prout omnino, ac præcisè corpus est. Quod enim prima negatio harum non sufficiat ad hoc, vt res aliqua incorporea, & spiritualis sit, liquet ex accidentibus materialibus, quæ incorporea, & spiritualia non sunt; & tamen corpus non sunt, etsi ad illud attineant: solumque illud corpus est, quod illud in se suscipit, & quasi adunat, vt egregiè docet Gregorius Nyssenus in lib. de opificio hominis cap. 23. ibi: *Nam vt corpus non est quod colore, forma, soliditate, spatio, gravitate, attributis ceteris præditum non est, sicut hæc singula corpora non sunt, cum à corpore seorsim considerata distinguere possint: sic è contrario ubi ea, quæ recensuimus, coeunt, corpus constitui necesse est.*

Quod vero secunda negatio earum, quas nuper proposuimus non sufficiat ad hoc, vt res sit incorporea, & spiritualis, constat ex ipso corpore, siue materia prima, quæ quidem incorporea, & spiritualis non est: & tamen non dependet à corpore, siue à materia: nihil enim à seipso dependentiam sortiri potest. Quod etiam tertia negatio superius posita non sufficiat, vt quid spirituale, & incorporeum dici potest, perspicue cernere est in forma equi, leonis, aliave belluina: namque eiusmodi forma absolutè, ac simpliciter spiritualis, & incorporea dici nequit; &

tamen tertiam illam negationem habet, ac conditionem aliquam corporis strictè talis à se excludit, videlicet diuisibilitatem partium integralium, indiuisibilis enim est, vt inferius constabit: quod si diuisibilem eam malis, certè idem argumentum fieri potest in forma cæli, quæ spiritualis absolutè non est, cum tamen conditionem aliquam rei corporalis propriam, videlicet corruptibilitatem à se excludat: tum sic argumentor: neutra harum negationum per se sumpta ad rationem rei incorporeæ sufficit; aliunde vero non est, cur vna potius, quàm altera quæuis ad eam requiratur: ergo tres simul sumptæ eam necessario, ac essentialiter constituent. Porro autem conditiones propriæ corporis, siue rei corporalis, quæ omnino, ac præcisè talis sit, sex enumerari debent. Primo, vt res aliqua corporalis sit, oportet, vt integraliter diuisibilis, ac extensa sit: mox vt inuisibilis, siue sensibus corporeis imperceptibilis sit: deinde vt impenetrabilis cum quauis alia re eiusdem rationis sit: rursus vt mortalis, ac corruptibilis sit formaliter, aut radicaliter, id est, vt vel corrumpi in se, vel principium corruptionis substantialis esse possit: præterea vt irrationalis sit: ac tandem quod inde sequitur, vt libero arbitrio prædita non sit. Has conditiones infra tractatu sequenti latè discutiemus: aliquam earum exuere debet id, quod à corpore recedit, & incorporeum dicitur. Hinc explicatur nostra assertio apertissimo exemplo: corpus omnium consensu trina dimensione, videlicet longitudine, altitudine, & latitudine coalescit: congruè igitur res spiritualis corpori contraposta, ac suapte natura incorporea trina negatione à nobis definita est, vt trine dimensionis trina negatio respondeat.

Assero tertio: non implicat contradictionem, sed potius possibilis est creatura aliqua, quæ penes idem realiter sui simul corporea, ac etiam spiritualis sit, idque non improprie solum, sed propriè, & rigorosè. Probatur assertio: quia non repugnat creatura aliqua impenetrabilis cum alia eiusdem rationis, quæ tamen integraliter composita non sit: at eiusmodi substantia partim corporea, partim spiritualis esset: ergo, &c. Maior perspicua videtur, cur enim impenetrabilitas alicuius substantiæ veter eam indiuisibilem simul esse, præsertim cum plures scholastici tract. sequenti numerandi censeant Angelos de facto impenetrabiles inuicem esse, cum tamen partium integralium expertes sint. Minor vero argumenti quoad primam partem probatur: siquidem ea substantia habet conditionem aliquam propriam rei corporalis, videlicet impenetrabilitatem: at quæuis conditio propria rei corporalis, eiusque quasi sigillatrix sufficit, vt res ea conditione affecta absolutè, ac simpliciter materialis